



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Quæstio I. De Peccato Commissionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

Et si non esset influxus positivus in illud causarum physicarum, non posset dici quod agatur physice sed potius quod non agatur: & sicut non influxus positivus causarum physicarum, non potest dici quod agat; ita per influxum positivum causarum physicarum non potest dici, quod non agatur, & quod passivè illi non respondeat actus. Si autem est influxus positivus in Commissionem, hoc ipso inferetur, Commissionem esse quid positivum. Tum quia. Saltem non implicat positivus actus, opponens sese præcepto. Ne feceris: quod si ille actus erit positivus ob paritatem rationis, quicumque alius simili præcepto se opponens, erit actus positivus.

PROBATUR 2. Peccatum Commissionis si non importaret aliquid positivum saltem in recto, id idè esset, quia esset quid negativum: sed hoc probat illud esse positivum in recto: quia nulla est negatio dabilis; quæ non fundetur in positivo. Unde illud principium est; *Non datur negatio negationis*, quod non tantum isto sensu verum est, quod negatio positivum aliquid negare debeat, non negativum; sed etiam hoc sensu, quod negatio non sit negationis tanquam subjecti, sed sit negatio debita positivo. Hic ipse medius terminus sic aliter proponitur. Vel peccatum Commissionis aliter se habet in ratione positi extra causas, quando est positum extra causas, quam se habuerit, antequam positum fuisset extra causas, vel se non habet aliter. Si se non habet aliter, ergo sicut ante peccatum Commissionis, non erat peccatum Commissionis, ita dum est peccatum Commissionis non est peccatum Commissionis: dicit enim illud ita se habere, ac se habuit, quando non erat. Et tamen quando non erat, verè non erat. Si autè se habet aliter, quando est positum extra causas, quam se habuerit quando non erat positum extra causas, ergo debet aliquid importare positivum: quia extractio ex nihilo, & ex illa antecedenti sui negatione, non potest aliter perfici, quam per aliquid positivum: Nihil enim ex negatione extrahitur negatione præcisè. Quod si illa extractio perficitur per aliquid positivum, etiam extractio peccati Commissionis ex sui negatione importabit aliquid positivum.

Fundatur hæc utraque Ratio in hoc principio, quod *non detur negatio negationis*. Quod ipsum, præter dicta in materia de Ubi, sic suadet. Tum quia. Negatio est malignantis naturæ adeoque destruit id, supra quod cadit, negatque id cui conjungitur: Ergo si neget positivum, erit negativum, & si neget aliquid negativum, non erit negatio, consequenter non erit negatio negationis. Tum quia. Duæ negationes faciunt unam affirmativam. Unde crevit ille terminus inter Recentiores ad significandum ipsum rei esse, quod scilicet sit ipsum rei *Non Non*. Tum quia. Hoc ipsum ostendit inductio. Nam v. g. tenebræ non sunt negatio negationis, sed fun-

dantur in aliquo positivo, suntque in re æternæ negans lucem. Ratio termini fundatur in aliquo positivo, nempe in quanto, negatque ulteriorem extensionem: & sic de reliquis.

Confirmatur Conclusio. Quia si peccatum Commissionis non esset quid positivum, sequeretur peccatum Commissionis, non esse peccatum: quia illud cuius esse est non esse, dum dicitur esse; non est: Ergo si peccati Commissionis esse, est non esse, dum est, non est: quod repugnat.

PROBATUR 3. Communiter. Actus odii Dei secundum suum esse spectatus, habet suum integrum perfectumque esse: nihil enim illi deest, quod ad esse actus odii Dei requiritur: Ergo in illo genere habet bonitatem transcendentem: hæc enim bonitas, est dicta perfectio: Ergo & positivitatem, quæ hæc sequitur conditionem Entis, quod ipsum fundat bonitatem; quam quia fundat etiam peccatum Commissionis, & Ens & positivum quid erit.

DICENDUM est 2. *Quod peccatum Commissionis, pro ultimo completo, rationeque formali dicat aliquid negativum*. Explicanda est Conclusio: quod ut fiat

PRÆMITTO 1. *Quod nullum sit tale Ens positivum, quod non dicat suas negationes*. Ratio. Tum quia, id ostendit Inductio: & ita Deus dicit negationem Creaturarum, Creaturæ dicunt negationem Dei. Tum quia. Si aliquid Ens non diceret negationes reliquorum, hoc ipso esset chimæra; quia jam v. g. homo non negaret Leonem, si non negaret Leonem, diceret Leonem: inter dicere enim, & non dicere objectivum, sicut inter esse & non esse, non datur medium: Si autem homo diceret Leonem, essetque Leo; hoc ipso esset chimæra. Tum quia. Si Petrus non diceret negationem aliorum, non negaret identitatem aliorum, hæc enim verbis differunt: Si non negaret identitatem aliorum, esset alia, essetque hoc quod non est; quia esset alia, non negando identitatem cum ipsis; & non esset alia, quia hoc ipso quod alia sint, illud aliud, non est illa. Unde

INFERS quod unaquæque res plures dicat negationes, quam affirmationes de se, quia affirmationes de illa sunt non nisi fundatæ in prædicatis, quæ continet; negationes autem fundantur in reliquis omnibus possibilibus, quæ omnia, utpote distincta à se, negat res.

INFERS item, plures esse in universo negationes, quam affirmationes; quia affirmationes sunt non nisi uniter, ut ita dicam, fundatæ in uniter habitis uniuscujusque rei prædicatis positivis. Negationes autem repetitò habentur: quia Petrus v. g. dicit omnes alias negationes, quas dicit Andreas exceptâ Petreitate, cujus negationem dicit Andreas, non dicit Petrus. Andreas item repetit eisdem negationes, quas Petrus, sed non negat Andream, quem negabat Petrus, negat autem Petrum, quem non negat Petrus.

PRÆ-

TRACTATUS II.

De Divisionibus Peccati.

Divisiones sunt Peccati tam Philosophici, quam Theologici, quas per longum esset recensere, sub Theologicam Considerationem cadit divisio in Actual & Habitual. De hac Actual est in materia de Pœnitentia. Rursus in peccatum Commissionis, & Omissionis. Item in peccatum Mortale, & Veniale. Denique in Proprium & Originale.

DISPUTATIO II.

De Divisione in Peccatum Commissionis

& Omissionis.

Nomine peccati Commissionis venit peccatum Committum contra Legem prohibentem ne fiat. Omissionis autem peccatum fit, contra Legem mandantem ut fiat. Utrumque hoc membrum Divisionis patitur suas difficultates.

QUÆSTIO I.

De Peccato Commissionis.

Quod attinet ad Peccatum Commissionis, de hoc celebris est Quæstio, An Malitia illius stet in aliquo positivo, an in aliquo non positivo, sive illud sit privatio, sive negatio. Divisi sunt Auctores. Aliqui affirmant peccatum stare in aliquo positivo, ita Cajet. Medina, Zume. Vafq. Less. Tann. Rayn. Arr. d. 2. f. 4. Oviedo Tr. 4. Contr. 5. & cum eis Rosmer. pag. 311. Quod autem malitia peccati Commissionis stet in aliquo non positivo docuit Suar. hic dif. 7. sect. 3. Sal. Molina, Bellarm. Valent. Baldel. & Elparza de actibus Hum. q. 29. post S. Thom. 1. p. q. 48. ar. 1. in corpore & ad 1. Item hic q. 72. art. 9. ad 1. & q. 18. art. 1. in Corpore. & qu. 2. de Malo. a. 2. & 9. & 3. contra Gentes. c. 7. Docuit idem Scotus in 2. d. 37. q. 1. n. 6. ubi sic ait. *Concedo igitur juxta solutionem questionis præmissæ, quod peccatum est corruptio rectitudinis in actu secundo.* Et infra, *intelligo corruptionem formaliter, sicut privatio dicitur formaliter corruptio sui habitus.* Cæterum uterque hic Doctor etiam pro opposita sententia citatur.

DIFFICULTAS I.

An in Positivo, an in Negativo Malitia Commissionis stet?

Inter duas Oppositas Sententias mediâ viâ procedendum erit, quod ut fiat sit

Punctum Difficultatis I.

Proponuntur tenenda Conclusiones.

DICENDUM I. Peccatum Commissionis importare aliquid positivum.

PROBATUR I. Tum quia. Peccatum Commissionis vel importat actum, vel non importat? Si non importat; Ergo est mera pura Omissio; Ergo est, quod non est: Peccatum enim Commissionis non est omissio, & tamen esset omissio, si non esset actus: sicut non est actus pura omissio, si importat actum: Ergo importat aliquid positivum; hæc enim verbis differunt pro præsentis: quia hoc ipso, si cum sit actus non importaret aliquid positivum, importaret non positum, seu non positivum, adeoque negationem actus. Tum quia, id quod ponitur à voluntate peccaminosa Commissionis, debet esse quid positivum: Si enim non esset quid positivum ille actus, non esset actus; quia non positivum dicit negationem cadentem in actum, si autem cadit in actum, negatio facit non actum. Et certè si id quod ponitur à voluntate peccaminosa Commissionis est actus, & tamen non est quid positivum; Ergo & ponit aliquid voluntas, ut supponitur, & non ponit, quia impossibile est ponere aliquid, & positum non esse positivum. Quod ipsum positivum subordinatur in derivationeposito, imò secundum rigorem grammaticum potius deberet dici positivum. Coincidit utraque hæc ratio in eundem medium terminum. Tum quia. Peccatum Commissionis existit, ergo est quid positivum: Nam non nisi positivorum & entium, est existentia. Tum quia. Si peccatum Commissionis ponitur à voluntate, datur in illud influxus positivus causarum physicarum: Et si

LOD
VSKI
le. Z.

Et si non esset influxus positivus in illud causarum physicarum, non posset dici quod agatur physice sed potius quod non agatur: & sicut non influxus positivus causarum physicarum, non potest dici quod agat; ita per influxum positivum causarum physicarum non potest dici, quod non agatur, & quod passivè illi non respondeat actus. Si autem est influxus positivus in Commissionem, hoc ipso inferetur, Commissionem esse quid positivum. Tum quia. Saltem non implicat positivus actus, opponens sese præcepto. Ne feceris: quod si ille actus erit positivus ob paritatem rationis, quicumque alius simili præcepto se opponens, erit actus positivus.

PROBATUR 2. Peccatum Commissionis si non importaret aliquid positivum saltem in recto, id idè esset, quia esset quid negativum: sed hoc probat illud esse positivum in recto: quia nulla est negatio dabilis; quæ non fundetur in positivo. Unde illud principium est; *Non datur negatio negationis*, quod non tantum isto sensu verum est, quod negatio positivum aliquid negare debeat, non negativum; sed etiam hoc sensu, quod negatio non sit negationis tanquam subjecti, sed sit negatio debita positivo. Hic ipse medius terminus sic aliter proponitur. Vel peccatum Commissionis aliter se habet in ratione positi extra causas, quando est positum extra causas, quam se habuerit, antequam positum fuisset extra causas, vel se non habet aliter. Si se non habet aliter, ergo sicut ante peccatum Commissionis, non erat peccatum Commissionis, ita dum est peccatum Commissionis non est peccatum Commissionis: dicit enim illud ita se habere, ac se habuit, quando non erat. Et tamen quando non erat, verè non erat. Si autè se habet aliter, quando est positum extra causas, quam se habuerit quando non erat positum extra causas, ergo debet aliquid importare positivum: quia extractio ex nihilo, & ex illa antecedenti sui negatione, non potest aliter perfici, quam per aliquid positivum: Nihil enim ex negatione extrahitur negatione præcisè. Quod si illa extractio perficitur per aliquid positivum, etiam extractio peccati Commissionis ex sui negatione importabit aliquid positivum.

Fundatur hæc utraque Ratio in hoc principio, quod *non detur negatio negationis*. Quod ipsum, præter dicta in materia de Ubi, sic suadet. Tum quia. Negatio est malignantis naturæ adeoque destruit id, supra quod cadit, negatque id cui conjungitur: Ergo si neget positivum, erit negativum, & si neget aliquid negativum, non erit negatio, consequenter non erit negatio negationis. Tum quia. Duæ negationes faciunt unam affirmativam. Unde crevit ille terminus inter Recentiores ad significandum ipsum rei esse, quod scilicet sit ipsum rei *Non Non*. Tum quia. Hoc ipsum ostendit inductio. Nam v. g. tenebræ non sunt negatio negationis, sed fun-

dantur in aliquo positivo, suntque in re æternæ negans lucem. Ratio termini fundatur in aliquo positivo, nempe in quanto, negatque ulteriorem extensionem: & sic de reliquis.

Confirmatur Conclusio. Quia si peccatum Commissionis non esset quid positivum, sequeretur peccatum Commissionis, non esse peccatum: quia illud cuius esse est non esse, dum dicitur esse; non est: Ergo si peccati Commissionis esse, est non esse, dum est, non est: quod repugnat.

PROBATUR 3. Communiter. Actus odii Dei secundum suum esse spectatus, habet suum integrum perfectumque esse: nihil enim illi deest, quod ad esse actus odii Dei requiritur: Ergo in illo genere habet bonitatem transcendentem: hæc enim bonitas, est dicta perfectio: Ergo & positivitatem, quæ hæc sequitur conditionem Entis, quod ipsum fundat bonitatem; quam quia fundat etiam peccatum Commissionis, & Ens & positivum quid erit.

DICENDUM est 2. *Quod peccatum Commissionis, pro ultimo completo, rationeque formali dicat aliquid negativum*. Explicanda est Conclusio: quod ut fiat

PRÆMITTO 1. *Quod nullum sit tale Ens positivum, quod non dicat suas negationes*. Ratio. Tum quia, id ostendit Inductio: & ita Deus dicit negationem Creaturarum, Creaturæ dicunt negationem Dei. Tum quia. Si aliquid Ens non diceret negationes reliquorum, hoc ipso esset chimæra; quia jam v. g. homo non negaret Leonem, si non negaret Leonem, diceret Leonem: inter dicere enim, & non dicere objectivum, sicut inter esse & non esse, non datur medium: Si autem homo diceret Leonem, essetque Leo; hoc ipso esset chimæra. Tum quia. Si Petrus non diceret negationem aliorum, non negaret identitatem aliorum, hæc enim verbis differunt: Si non negaret identitatem aliorum, esset alia, essetque hoc quod non est; quia esset alia, non negando identitatem cum ipsis; & non esset alia, quia hoc ipso quod alia sint, illud aliud, non est illa. Unde

INFERS quod unaquæque res plures dicat negationes, quam affirmationes de se, quia affirmationes de illa sunt non nisi fundatæ in prædicatis, quæ continet; negationes autem fundantur in reliquis omnibus possibilibus, quæ omnia, utpote distincta à se, negat res.

INFERS item, plures esse in universo negationes, quam affirmationes; quia affirmationes sunt non nisi uniter, ut ita dicam, fundatæ in uniter habitis uniuscujusque rei prædicatis positivis. Negationes autem repetitò habentur: quia Petrus v. g. dicit omnes alias negationes, quas dicit Andreas exceptâ Petreitate, cujus negationem dicit Andreas, non dicit Petrus. Andreas item repetit eisdem negationes, quas Petrus, sed non negat Andream, quem negabat Petrus, negat autem Petrum, quem non negat Petrus.

PRÆ-

PRÆMITTO 2. *Quamvis omne Ens dicat negationes; inde tamen non sequitur, quod omne esse ultimò compleatur per aliquid negativum:* Et sic ultimò in ratione Hominis non constituitur Petrus per aliquid negativum, quale est v.g. non esse Leonis; sed constituitur ultimò per aliquid positivum, nempe per ipsam rationalitatem: Et si omnia ultimò constituerentur negationibus, nullum daretur Ens positivum. Cæterum sunt alia entia, quæ ultimò compleuntur per aliquid negativum. Et ita v.g. terminus in quantitate est ipsa quantitas, quæ est quid positivum; sed ultimò compleuntur per negationem, nempe negationem ulterius extensionis. Item in sententia Scotistarum, subsistentia, est ipsa natura, ultimò tamen compleuntur duplici negatione. Et hic jam videndum est, An peccatum ultimò compleatur per aliquas negationes. Hinc

PRÆMITTO 3. *Ad investigandum An aliquid ultimò compleatur negationibus, hæc inter alia considerant. In primis, Auctoritas, si res sit de objectis quorum natura altiori Testimonio explicatur. Deinde conditio naturæ entis. Denique observatio illius principii, ne multiplicentur entia, seu positivæ rationes, sine necessitate. Omnia hæc tria convincunt, negativo complementationem formalem peccati: Evincit Auctoritas de qua infra; evincit quòd nulla sit necessitas; denique conditio entis, de qua hic.*

Formari potest Discursus. Non datur summum malum quod possit existere, quantumvis datur summum bonum. Ratio, quia sicut summum bonum præter perfectionem omnem possibilem, quam includit, exclusivum est omnino mali: ita & summum malum præter inclusionem propriam imperfectionum, esset exclusivum omnino boni; si esset exclusivum omnino boni, esset exclusivum omnino entis: bonum enim & ens illigant se sibi: Si autem esset exclusivum omnino entis, esset etiam exclusivum existentia, quæ est quid entis, imò ipsum ens in actum deductum. Nihilominus quamvis non detur, nec dari possit, summum malum existens; datur tamen aliqua summa in suo genere, quæ potest esse, oppositio ad summum bonum: Cur non enim? quæ quia non potest simpliciter in negatione esse, debet fundari in aliquo positivo, sed ultimò complebitur per aliquam negationem, hoc ipso enim summe, ut potest, non opponeretur, si negatione non completeretur. Hoc autem non aliud est, quam offensam Dei & peccatum. Porrò si est maxima oppositio ad summum bonum in offensam Dei & peccato, illa non erit stans in positivo. Quod ipsum inde colligitur, Quia magis opponitur Deo negatio quam Ens: omne enim Ens est participatio Divinitatis, hæc autem non potest esse ita opposita Deo, atque non participatio Divinitatis, quam non participationem dicit negatio, consequenter cum peccatum opponatur Deo in ea ratione, in qua maxime opponitur, debet esse

non positivum, aliàs non summe opponeretur, si cum potest opponi in non positivo, non opponatur in non positivo. His præmissis

Explicatur Peccatum Commissionis.

EXPLICATUR 1. Complementum illud peccati in negativo consistens. Nullum est ens quod non dicat negationes. Ut dixi Præmissis. 1. Non omne tamen negationibus constituitur ultimò. Ut Præmissis 2. dixi, id tamen constituitur negationibus, cujus natura, & conditio entis id videtur deponere. Porrò conditio entis, quod est peccatum, est in ratione actionis, summe opponi Deo, quæ summa oppositio non esset, si negativis prædicatis non completeretur, ut dixi in Discursu.

EXPLICATUR 2. Duplices possumus exigentias & merita in objecto quod est bonum, adeoque etiam in Deo summo bono cogitare. Quasdam exigentias positivas, & quasdam negativas. Positiva exigentia boni est, ut ametur; Negativa, ne odio habeatur. Positiva exigentia est, ut iuribus boni illius satis fiat: negativa, ut illis non contraveniatur. Positivæ hæc exigentiæ priores sunt negativis: Nam positiva sunt, ut dictum, fundamenta negationum. Unde etiam prius est in bono exigentia ut ametur, quam ne odio habeatur, & in aqua, prior est exigentia ut habeat frigus, quam ne sit calida. Quod si prior est exigentia positiva prior etiam erit exigentia commensurandæ operationis ad regulam rectè agendi, præ exigentia negativa, ne scilicet illi discommensuratae ponantur actiones. Quod si prior est exigentia ut commensuratae ponantur actiones, oppositio ad hoc primò, erit principalis, & prima ratio in peccato. Quia sicut contraria sunt quæ sibi contrariantur: ita sunt primò contraria, quæ in contrarietate primis prædicatis adinvicem opponuntur. Quia verò illis primis non aliter fit oppositio quam per prædicata negativa, in actione peccaminosa Commissionis peccati inclusa, fit ut illa prædicata negativa, quale est, quod peccatum non sit secundum debitum juri Divino respondens, quod non sit commensurata actio regulæ honestè agendi, & similia, fit in qua, ut hæc prædicata sunt primò in peccato adeoque completiva malitiæ illius, ut ita commensurentur inter se oppositiones, primòque per id opponatur peccatum, quod primò deponit ius Divinum aut quæcunque exigentia boni: Quia verò dantur exigentiæ negativæ, seu secundariæ, ut est exigentia in bono, ne fiat quidquam contra regulam actionum humanarum, huic opponit se prædicatum positivum, fieri contra regulam, sed hæc formalitas est secundaria. Quæ ipsa prædicata negativa ut vides non explicantur à nobis per negationem v.g. amoris propter rationes infra adferendas, sed per prædicata negativa opposita prædicatis positivis in jure Divino,

(D) & in

LOD
VSKI
C. 2.

& in regula agendi contentis, quibus non nisi negationes opponuntur. Unde exigentia illa ut ametur, non supponit hinc præcise pro exigentia actus amoris, sed pro ipsa amabilitate, jureque & possessione amabilitatis.

EXPLICAT 3. Quidam ex 5to. Metaph. t. 21. & secundum S. Thomam hic q. 18. ar. 1. Bonum transcendente nihil aliud est, quam integritas, seu complementum alicujus rei: & ita etiam materia est quid bonum, quia quamvis materiae ad hoc ut sit ens completum desit aliquid; ad hoc tamen ut sit materia, nihil illi deest, sed in entitate integra est & completa, ac per consequens bonum. Et hac ratione S. Th. 4. Ench. lect. 23. exponit illud Aristotelis ex 4. Eth. c. 5. quod non possit alicui convenire omnis defectus boni: quia tale malum convinceretur omnino se ipsum destruere, & fieret simpliciter intolerabile, destruendo etiam subjectum suae malitiae. S. etiam Aug. Ench. c. 3. ostendit mala non esse sine bonis, subditque c. 26. quod quamvis bona possint esse sine malis, mala tamen sine bonis, nec nisi in bonis esse possunt: Nam licet homo vel Angelus possit non esse justus, injustus tamen non potest esse nisi vel homo, vel Angelus, & cum sit bonum, quod sit homo, & quod sit Angelus; malum tamen est in utroque, quod sit injustus. Unde constat posse aliquid esse bonum & tamen simul esse malum, quatenus deficit in aliquo, vel aliquid illi deest. Et ita materia dicitur bona materia, & tamen est ens imperfectum, quia non habet perfectionem, & actualitatem formae substantialis. Ex quo ulterius patet. Bonitatem transcendentalem, esse aliquid positivum; est enim habere, quidquid requiritur ad tale esse, quamvis aliquando explicetur per negationem, quatenus dicitur nihil illi deesse. At vero malum si formaliter & in actu secundo spectetur dicitur compleri per aliquid negativum: malum enim est cui deest aliquid ad tale esse in esse perfecto. Et ita malus est equus, cui deest aliquid quod reperitur in equis perfectis. Jam vero malitia moralis hoc addit, quod sit carentia perfectionis debitae, hoc est, quam ex debito morali, tenebatur operans procurare, quod debitum explicans S. Th. q. 1. de Malo. ar. 1. ad 1. & ad 7. ait. Illud consistere in modo, ordine, & apta compositione partium ad invicem, hoc autem in peccato non reperitur. Haec explicatio

NON SATISFACIT. Tum quia: Potest esse defectus etiam ex aliqua entitate, & ita est defectus habere magnum nasum, & tamen explicatio assumit malum in actu secundo compleri per aliquid negativum, deberet ergo hoc ulterius explicari. Tum quia, non videtur ideo materia imperfecta: quia deest illi perfectio formae: quomodo enim ex illius carentia aliquid est imperfectum, quod si haberet chimæra foret, ut foret materia chimæra si haberet perfectionem for-

ma. Tum quia ægerime explicatur, quod peccatum sit carentia rectitudinis debitæ, certe enim odio Dei non debetur ut sit actus bonus, quomodo ergo odium Dei caret rectitudine debitæ.

DICENDUM est 3. *Rationem illam positivam importari in recto, pro connotato autem importari negationem.*

PROBATUR 1. Quia pro genere in definitione Commissionis ponitur actus, adeoque quid positivum. Jam autem ea, quæ ponuntur præcipue pro genere in definitione alicujus semper importantur in recto, ea autem, quæ ponuntur pro differentia, si sint definitiva entium Connotativorum, non ponuntur nisi in obliquo. Et ita tenebræ definiuntur quod sint aer sine luce; est autem peccatum connotativum Ens.

PROBATUR 2. Quia ratio non positivi reperibilis in peccato habet se sicut formalitas quædam ex modo nostro concipiendi adveniens; talia autem semper unum dicunt in recto, hoc est subiectum, formalitas autem ipsa in obliquo importatur. Et ita v. g. terminus in quantitate, est ipsa quantitas prout dicit negationem ulterius extensionis.

PROBATUR 3. Importata in obliquo significant formalitatem ultimam complementem, importata in recto nondum completum quid significant. Et ita quantitas importata in recto a termino, non trahit secum completam rationem termini, sed illam adfert importata in obliquo negatio ulterius extensionis. Sed etiam ratio actus in peccato, non importat completam rationem peccati, quam importat non commensuratio rationis ad jus divinum, aut ad regulam actionum humanarum rectam. Ergo actus in recto ponitur, in obliquo autem illud non positivum dicitur.

COLLIGES. Peccatum Commissionis esse ipsum actum prout non commensuratum debito Juris Divini, vel Regulæ honestarum actionum.

Punctum Difficultatis 2.

Examinantur Rationes pro secunda Conclusionem.

EXPLICUIMUS supra Conclusionem secundam Innuimusque probationes potius, quam attulimus, quas, quo robore in hac materia adferant Auctores expendemus.

1. RATIO est. Sub qua ratione aliquid est formaliter bonum, sub ea ratione implicat illud esse formaliter malum; implicat enim bonum esse malum, sed quidquid est positivum sub ea ratione, sub qua est positivum est formaliter bonum. Quod ipsum probatur, sub qua ratione est aliquid formaliter ens, sub ea ratione est bonum formaliter: hæc enim se transcendent ad invicem. Sed quidquid est positivum sub qua ratione est positivum est ens: quia Ens prædicatur formaliter de omni eo quod non est purum nihil, quale debet esse omne id, quod positivum est.

est. Ergo quicquid est formaliter positivum sub ea ratione, sub qua est formaliter positivum, est formaliter bonum.

RESPONDETUR. Retorquendo Argumentum, in quantum eo utentes radicalem malitiã peccati in positivo statuunt, & tamẽ sub qua ratione aliquid est formaliter bonum, sub illa ratione ex vi rationis allatã, non potest esse malũ radicaliter: quia sub illa ratione, non potest esse actus radix nihili. Quã retorſio multis infra ponendis applicari potest. Directẽ argumento sic satisfit: sub qua ratione est aliquid bonum bonitate transcendentali, sub illa ratione non potest esse malum malitiã itidem proportionatã, in e. transcendentali; potest tamen esse malum malitiã alius generis, hoc est malitiã morali.

Idem medius terminus scilicet proponitur. Sicut res habet à propria sua entitate formaliter ut in se sit; ita & habet ut in se bene sit. Sicut autem implicat ut à propria perfectione sit formaliter imperfecta, alioqui ipsa suã perfectione foret imperfecta; ita implicat, ut eadem sit in se formaliter mala: sicut enim ratio boni est eadem cum ratione perfecti juxta Arist. 5. Metaph. t. 21. ita & ratio mali, in se formaliter consistit in hoc, quod res privetur particulari aliquo bono, quod est perfectioni illius debitum. Respicit ultimus hæc Ratio illud principium, quod sicut bonum dicitur cui ad integritatem nihil deest, ita & malum est formaliter, quod in aliquo ex illis quæ illi debentur, deficit, consequenter commisso mortali, quæ est mala formaliter, debet esse mala formaliter ex eo quod deficiens sit, quod careat aliquo sibi debito, deficientia autem & carentia sunt negationes.

RESPONDETUR. Quod res à propria sua entitate habeat ut ipsa sit bona transcendentaliter, consequenter, nec in illa ratione potest esse mala transcendentaliter, bene tamen potest esse mala moraliter, dicitur; potest ulterius bonitatem physicam consistere in integritate omnium, quæ illi debentur, sed bonitas moralis universaliter non consistit in integritate omnium, quæ illi debentur. Nam in malitia morali ipsa integritas omnium quæ illi enti defectivo debentur malitiam totam fundat. Cur enim odium Dei est malum quia habita est advertentia & voluntarii integritas ad illud odium requisita, & si non fuisset integritas requisita ditorum, non fuisset peccatum mortale. Unde ulterius bonum physicum est ex integra causa, sed universaliter bonum morale non in eo stat, quia est ex integra causa. Quare autem bonitas physica possit stare in integritate, non autem universaliter loquendo bonitas moralis: ratio est quia integritas physica, non potest esse nisi ex entibus, quæ quia adferunt etiam bonitatem physicam, hoc ipso adferunt perfectionem physicam. Jam autem integritas moralis, non semper adfert bonitatem moralem: adfert enim

plenum etiam voluntarium, seu integrum adhærescens malo. Hinc integritas moralis non semper est bonum, consequenter nec semper est perfectum.

2. RATIO est. Quã etiam utitur Perez. Si peccatum esset quid positivum esset ejus causa, & Auctor Deus: quia omnis entitatis positivæ causa activa, & Auctor est Deus, sed Deus non potest esse causa activa & auctor peccati; quia cujus est Auctor Deus, illius est & amator, ut docet Aug. init. Lib. 83. quæst. & fundatur in scriptura quæ dicit, diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti quæ fecisti; nec enim odiens aliquid constituisti aut fecisti, Sap. II. v. 25.

RESPONDETUR communiter. Deum ad entitatem positivam peccati, non concurrere tanquam causam propriam & per se, concurrere enim, non tanquam agens & volens, sed quasi coactus, & contra suam inclinationem; Deus enim suam omnipotentiam quasi tradit libero arbitrio, ut possit illã creatura uti, ad bonum vel malum, prohibendo tamen ab usum, eã ratione quã Martyr suum corpus tradit Tyranno, inquit Perez, ut possit illud cruciare, aut servare; quin tamen cruciatus & dolores possint tribui illi tanquam Auctori, sed solum tanquam permittenti. In hac materia addi hoc potest. Distinguendas esse has duas propositiones. *Deus concurrit ad peccatum, & Deus est causa peccati & Auctor.* Prius illud verum est. Secundum falsum. Ratio: quia licet is qui concurrit hoc ipso etiam causet suo modo: quia tamen concurrere, de se non notat causam propriã, formalitatemque Auctoris, quæ stat in hoc, quod est ex inclinatione & affectu ad opus operari. Omne autem liberum agens, quod est causa alicujus, & Auctor, dici debet operans, ex inclinatione ad opus ejusque amore, quem amorem, quia Deus non habet ad peccatum, non est ejus causa propria, & Auctor. Advertit etiam Arriaga. Quod privatio inclusa in peccato, etiam posito quod illa ultimò compleat malitiam peccati, non aliter ab homine fiat, quã producendo entitatem physicã, ad quam illa privatio consequitur, non enim ad privationem datur per se actio. Cum ergo Deus eãdem actione cum creatura producat illud positivum, non aliter quã homo, dicens esset Deus causa peccati. Quod si recurras in eo esse diversitatem, quod Deus concurret cum displicentia, dicent oppositi, quod etiam ad illud formale concurrat cum displicentia.

INSTAT I. Perez Argumento ab Auctoritate D. Aug. c. 18. de vera Rel. Formatq; inter alia, argumentum. Omnis entitas positiva fit Deo Auctore. Sed quod fit Deo Auctore, fit Deo volente. Ergo omnis entitas positiva, quatenus entitas positiva est, non solum fit Deo permittente ipsam, sed Deo etiam volente.

RESPONSUM jam est. Deum esse Auctorem

(D) 2 rem

LOD
VSKI
le. Z.

rem omnium bonorum quæ sunt sine restrictio-
ne bona, non tamen esse causam bonorum quæ
sunt transcendentaliter bona, mala moraliter.
Consequenter non est Auctor Deus ut homo
deterior fiat. Nam nomine Auctoris venit o-
perans cum inclinatione, non est autem Deus
inclinatus ad malum.

INSTAT 2. Perez. Omne quod existit qua-
tenus existit à Deo est: Omnia enim per ipsum
facta sunt. Quod etiam asserit Dion. de Div.
Nom. c. 5. Omne autem Ens sæculi, vel tem-
poris, & omnis quocunq; modo existentis Præ-
existens est Principium & Causa, hoc est, Deus.
Sed eo ipso quod concedamus aliquid existere
positivè, debemus fateri illud fieri à Deo, tan-
quam à dirigente, & non tanquam odiente, ut
dicit scriptura. Nec possumus ita abuti omni-
potentiâ Divinâ, ut faciat aliquid Deus tanquã
odiens, hoc enim script. expressis verbis negat.

RESPONSUM jam est. Omne quod existit
secundum quod existit quoad esse physicum à
Deo est, secus secundum quod existit, quoad es-
se morale.

ADDENDUM hic aliquid de inclinatione Di-
vina in concurrento. Vidit Deus creaturas
sine suo concursu operari non posse. Vidit po-
stea pro innata libertate, dato sibi concursu pos-
se abuti eodem, modò illis indemnem servare li-
bertas, decrevit illam indemnem servare, & ne-
mo illum ad hoc coëgit, sed ex sua inclinatio-
ne servandæ indemnem libertatis creatæ, adstrinxit
ad talem concursum suam libertatem, & hoc
sensu inclinatio in Deo ad illam servationem in-
demnem libertatis creatæ salvari potest. Rursus
potest poni inclinatio ad ipsummet opus ma-
lum, hanc Deo aufert scriptura, & demonstra-
tio Metaphysica de ejusdem sanctitate.

INSTAT 3. Perez. Universales locutiones
Scripturæ & PP. de Deo tanquam causâ rerum
non patiuntur tales explicationes.

RESPONDETUR. Quando Scriptura ipsa
aliis in locis innuit Patresque, quòd Deus non
æqualiter ad peccata, & actiones alias concur-
rat, sufficiens habetur fundamentum talis expli-
cationis, & aliunde non evincitur peccatum
formaliter in positivo non stare.

INSTAT 4. idem. In divisione Entis in Crea-
torem & Creaturam, nullus unquam agnovit
impropriam significationem, sed omnem crea-
turam propriissimè à Deo fieri, & à Deo amari,
cum sit de fide, creaturam omnem Dei, esse val-
de bonam.

RESPONDETUR. Creatura fit propriissimè
à Deo in quantum dicit aliquid ordinis physici,
non autem in quantum illud ipsum positivum
dicit aliquid ordinis moralis. Et quamvis idem
sint realiter positivum illud physicum, & positi-
vum morale, sufficit, quod à Deo noscente sin-
gula, distinguantur æquivalentiâ præcisionis.

INSTAT 5. idem. Non potest excipi à con-

curfu Dei physico ulla entitas creata propter lo-
cutiones generales scripturæ dicentis, Deum
nihil odisse eorum, quæ fecit. Ergo etiam si
Deus peccati fecit, debet illud amare, ad quod
alludit ille etiam locus, quòd Deus omnia ope-
ratus sit, propter semetipsum, adeoque propter
se tanquam finem; facere autem aliquid propter
finem, est facere illud amando ipsum.

RESPONDETUR. Sunt quidem locutiones
universales, quæ nihil eximunt à concursu Dei,
sed non sunt locutiones æqualiter Deum omnia
causare. Unde scriptura dicit, servire me feci-
sti in peccatis tuis, & Trident. Sess. 6. de Justific.
Can. 6. Anathematizat docentes quod Deus
æque sit causa boni, atque mali. Unde in præ-
senti & ad hanc & ad priorem Instantiam, ce-
nendum hoc erit, peccatum stans in positivo ef-
fere, fieri propriissimè à Deo, non tanquam, à cau-
sâ secundum inclinationem operante, sed tan-
quam à causa, contra inclinationem operante &
serviente, adeoque ad destructionem illustri-
mini, qui est, Deum esse propriissimè causam
peccati, cum ratio propriissimæ causæ deponat
inclinationem.

3. RATIO ejusdem. Si entitas peccati, non
est amabilis à Deo, sed solum odibilis. Ergo
nullo modo est bona, Ergo non est entitas posi-
tiva: quia omnis entitas positiva est bona, quod-
libet enim Ens est unum, verum, bonum.

RESPONDETUR. Entitatem positivam pec-
cati esse bonam physicè & transcendentaliter,
malam autem moraliter.

Punctum Difficultatis 3.

Probatur Intentum.

PROBATUR I. Conclusio. Auctoritatibus
PP. qui sentiunt peccatum in non positivo
consistere.

1. Auctoritas sit Dion. c. 4. de Div. Nom.
præsertim §. 4. *Circumfusum nobis ærem offundit
tenebris dicimus defectu, at que absentia lucis. Item
que neque in demonibus, neque in nobis est malum,
quasi existens, sed ut defectus, & desertio propriorum
bonorum.* Et ibidem §. 23. explicans, quare dæ-
mones sint mali, *mali sunt, inquit, defectu Angeli-
corum bonorum.* Et infra. *Depravatio igitur est
malum est rerumque illis convenientium desertio,
bonorum ipsis congruentium privatione, declinatio-
ne atque prolapsione mali nominantur.*

2. Auctoritas est Damasc. L. 4. Ortho. Fid. c.
21. *At inquires, si res ita se habet, quanam mali ori-
go est: nec enim fieri potest, ut malum à bono ortum
traxerit. Respondemus. Malum nihil aliud est,
quàm privationem boni.*

3. Auctoritas est Aug. qui c. 24. Ench. Lo-
quens de peccato dicit: *Quod est primum malum
Creatura Rationalis, id est, prima privatio boni.*

His adde S. Thom. L. 3. contra Genes. c. 7.
8. 9. Totâ item q. de malo & hic q. 71. a. 1. III
Corp. explicans quid sit formalitas vitii. *Vitium*

utiuscujusque rei esse videtur, quod non sit dispositum secundum quod convenit sua natura, citatur August. L. 3. de Lib. arbitr. c. 14. quod perfectio- ni desse perspexeris: id voca vitium. Imā itidem P. q. 48. ar. 1. in Corp. dicit; Ipsa boni absentia malum est. Quod ibidem repetit, ad 1. ad 2. ad 4. Ubi etiam agnoscit in peccato, & positivum & negativum. Ibidem a. 2. inquit; Necessē est in rebus inveniri malum, sicut defectus & corruptio bo- ni, non quidem positive sed formaliter remotive, a. 3. in Corp. inquit; Cum malum sit privatio bo- ni, & in eodem subjecto sint, malum in bono non ne- gative, sed privative est ut in subjecto.

RESPONDETUR 1. PP. SS. loqui in sensu defectivo.

CONTRA est. Si nihil obsit cur non pote- rant accipi, tanquam loquētes in sensu formali.

RESPONDETUR 2. Agere PP. contra Ma- nichæos, qui dicebant esse aliquas naturas ma- las, & à Deo malo creatas, necerant valde solici- citi per Arriaga, ut questionem hanc Metaphy- sicam de formali Commissionis declararent, præcipuē cum non rarò, etiam entia positiva, per negationes explicentur.

CONTRA est. Tum quia. Quamvis aliqua Loca August. ita explicari possint, ut pote agen- tis contra Manichæos, non tamen reliquorum Doctorum, sub quorum tempora non floruit Manichæismus. Tum quia. Quamvis non fuerint solliciti PP. de Metaphysica hac forma- litate constitutiva peccati Commissionis, nihi- lominus etiam non debent assumere propo- sitiones falsas, qualis est apud oppositos hæc, Malum dicit privationem boni, quæ propositio in materia necessaria cum sit indefinita, univer- salis est, & per nos simpliciter vera. Tum quia. Distinguenda est hæc formalitas, primò positi- vum explicatur per negativum, secundò prædi- catur de positivo, quod sit nihil, quod sit nega- tio &c. illud prius etiam entibus positivis con- venire potest, hoc posterius non potest; imò est nota infallibilis, non esse positivi, si de illo dica- tur in recto est nihil, est privatio.

RESPONDETUR 3. SS. PP. etiam opposi- tum innuere, ut August. de Genesi c. 1. Sed illo loco dicit quidem peccatum esse voluntatis as- sentium, sed non definit, in quonam formaliter stet, & quamvis dixerit peccatum esse factum, dictum, concupitum contra legem æternam, cum non exprefferit, an istud contra in positi- vo, an in negativo stet? dat nobis libertatem ex- plicandi hoc per loca à nobis citata. Quando autem Hieron. Lib. 1. in Amos Proph. Nequius est inquit, odisse justitiam, quam non fecisse, aucto- ritati huic assentimur, hoc enim vult. Detestus est elicere actum odii ipsius justitiæ, quam non fecere actum justitiæ, nam non fecisse actū justitiæ, contingit ex subreptione, odisse autem justitiam, ostendit penitissimam à Justitia aver- sionem. Unde Concesso hoc loco, non colli-

gitur odium in ratione peccati, positivo consti- tui, neque enim de hoc egit Hier. inibi. Quan- do autem in oppositum citatur S. Thom. ad has Auctoritates tenendum erit, quòd tantum vo- luerit significare etiam positivitatem reperiri in peccato Commissionis, & hoc volunt illa verba 1. 2da q. 82. a. 1. ad 1. Peccatum non est pura pri- vatio sed factum debito ordine privatum. Citari solet ab oppositis etiam Auctoritas Aristot. qui in Prædic. cap. de oppositis. Bonum & Ma- lum morale, dicit opponi contrariè. Jam au- tem supponitur contrariè opposita positiva esse. Sed etiam ad hoc Responderi potest: Quod Ra- tionale & irrationale sint contrariè opposita, & tamen irrationale non est quid positivum, ex- plicarique potest Aristoteles quod malo morali positivitatem tribuerit in quantum in recto im- portata actum.

PROBATUR 2. Non sunt multiplicanda en- tia sine necessitate. Ergo nec positivæ rationes differentiales sunt multiplicandæ sine necessi- tate, nulla autem est necessitas formale peccati statuendi in aliquo positivo.

PROBATUR 3. Tum quia. Possibilis est in suo genere summa oppositio in linea moris. Dixi in suo genere, quia summitas in specie & indivi- duo nulla agnoscitur. Probatum hoc ipsum: quia in tali oppositione nulla datur implicancia, & si datur summum genus accessus ad Deum, stans in gradu substantiæ spiritualis; Cur etiam in ge- nere oppositionis moralis idem dari non pote- rit. Hæc autem oppositio non est alia nisi pec- catum grave. Quod ipsum probatur. Quod fundat maximā fugam boni summi, cui opponi- tur aliquid, illud debet esse summè oppositum: oppositio enim fugā sibi determinat. Sed Deus maximè fugit peccatum. Neque enim reperi- bile est aliud quod detestetur præter peccatum: aggravatq; illud suæ excellentiæ infinitate &c. Subsumitur. Sed secundum dicta in explica- tione prima, debet illa oppositio formalitari ne- gatione; quia ut probatum inibi, & esset summa, & non esset summa. Tum quia. In illo differen- tialiter stat peccatū quod ultimò complet mali- tiam peccati, sed negationes ultimò complent malitiam peccati: quia illæ sunt ultimò adferri- biles, pro Responsione: Cur aliquid peccatum sit malum. Quod ipsum probatur. Quia si quæram, odium Dei est nē malum? respondebi- tur, sic. Si quæram quare est malum: quia est contra præceptū negativū quod est non odien- di Dei. Si quæram quare hoc præceptum nega- tivum prohibet odium tanquā malum, tandem quibuscumq; aliis Responsionibus & phrasibus positis, devenietur ad hoc, idē odium esse ma- lum: quia proximè non commensuratur regulæ rectè agendi proponenti, si feceris, dissonabis naturæ intellectuali, juriq; Divino. Tum quia. Pone per impossibile, quòd odium Dei habeat omnia prædicata positiva & non dicat negatio- nem

nem rectitudinis debitæ, non habebitur adhuc completa ratio malitiæ, & si diceret positionem rectitudinis debitæ, adhuc esset bonum, pone è converso Amorem cum omnibus prædicatis positivis, dicat tamen negationem rectitudinis debitæ, ut si eliciatur contra prohibitionem, jam ille Amor deberet supponi peccaminosus. Ergo apparet rationem peccati, negatione rectitudinis proximè formalisari, siquidem ejus abscessus destruit peccatum, & ejusdem negationis accessus ponit peccatum. Et sicut formalisat segregativum visus albedo, quia ejus accessus, vel recessus, ponit, vel non ponit illud segregativum; Sic negatio rectitudinis formalisabit peccatum: quia ejus negationis accessus, vel recessus, ponit, vel non ponit peccatum.

In his Argumentis, inferiusque adferendis semper supponitur, quòd peccatum dicat negatione debitæ rectitudinis; in qua negatione explicanda occupantur Auctores, ostendendo quæ sit ista v. g. odio Dei debita rectitudo. Ratio dubitandi: quia sicut Leoni non est debitum esse hominem; ita & odio Dei; non est debitum esse Amoris, aut cujuscunque rectitudinis; nihilque est debitum cuiquam, quod destruit essentiam illius, destrueret autem essentiam odii Dei, rectitudo, quam rationem dubitandi ponderosè opponit Vasq. & tamen hæc rectitudo debita debet esse: quia aliàs peccatum, non esset defectus, si illi rectitudo debita non fuisset. Sicut non est defectus in Leone, quòd non sit homo: quia est indebitum Leoni, ut sit homo; imò debitum ne sit. Hoc ut explicetur. Sit

DIFFICULTAS II.

Quid importet negatio rectitudinis debitæ in esse peccato?

PLures vias inierunt, quæ Recentiores quæ Antiquiores, id explicandi; quæ occurrunt magis insignia hinc proponuntur: Nam singulas explanationes, persequi longum.

Punctum Difficultatis I.

Proponuntur Recentiorum Explanationes.

EXPLICAT I. Perez. quòd malitia formalis peccati Commissionis negatioque rectitudinis debitæ inesse, stet in quadam privatione essentialiter libera, quæ præcedat ipsum actum, ita ut actus sequatur privationem sine nova libertate. Ponitque in ipso actu libero determinatione liberi arbitrii ad ipsum actum liberum; & hanc determinationem dicit esse modum quendam positivum in actibus bonis perfectivum subjecti, in actibus verò malis, non esse positivum & perfectivum, sed corruptivum, &

privativum perfectionis actus boni. Quod autem sine nova libertate illam privationem consequi debeat actus positivus rationem dat: quia aliàs accedere posset, ut positio liberè actu prohibito postea quis evitet malum, quod est absurdum. Hoc autem ipsum, quid sit illud quo privatur illa privatio ita explicat. Omnis determinatio formaliter libera ad actum positivum quem volumus eligere, est omisso quædam omnium impedimentorum potentium hinc & nunc impedire existentiam actus. Sit v. g. homo liber ad amorem Dei, & odium eo ipso non solum, potest amare liberè, sed potest liberè non amare, & impedire existentiam amoris, vel per ipsum odium; vel nolitionem efficacem amoris &c. Jamque necessitatem patitur, ut necesse sit illum hominem, vel liberè amare Deum, vel impedire liberè amorem &c. idem dicendum proportionaliter de odio, ad quod libertas determinatur, per omissione indivisibilem omnium impedimentorum potentium hinc & nunc impedire ipsum odium, & hæc omissione posita, sine nova libertate, atque necessario sequitur odium Dei. Sed est notanda, inquit, insignis differentia inter determinationem ad amorem Dei, & determinationem ad odium Dei, quod licet utrumque vocetur pura omisso, sicut etiam tenebræ, vocantur negatio lucis, & lux negatio tenebrarum, proprie tamen loquendo, ipsa omisso determinans ad odium Dei, est proprie omisso & privatio, altera autem potius est actio positiva, sicut lux est entitas positiva. Ratio discriminis: quia omisso determinans ad odium, est per se ipsam mala, & nullam habet bonitatem, neque est à Deo; determinatio autem libera ad actum amoris Dei per se ipsam est bona & laudabilis, pro qua sententia adfert plures Auctoritates. Sed ut verum fatear, illæ explicari possunt secundum nostram sententiam, quòd formale peccati stet in non positivo. *Absolute autem hæc explicatio.*

NON SATISFACIT I. Tum quia. Actus ipse odii Dei condistinctus ab illa ipsa non positione impedimentorum, secundum hæc principia, & esset malus formaliter, & non esset; non esset quidem: quia non esset liber, sed necessario sequeretur. Omne autem formaliter malum est formaliter liberum. Rursus quia illud quod jam sequitur, positivum est secundum Perez. Si positivum est Auctorem habet Deum? Utinam simili arguebat ipse. Quod autem Deum Auctorem habet bonum est, ut docet fides. Ergo & illud odium jam esset bonum. Esset autem secundum Perez adhuc malum odium Dei: quia communis est Fidelium apprehensio odium Dei, quod experitur in se peccator, producendo illud, malum esse. Et si non ponere impedimenta odii Dei est malum, quomodo ipsum odium Dei non erit malum, propter quod enim unum quodque tale &c. Et certè illa impedimenta sunt impe-

impedimenta non posita mali. Ergo sequens actus debet esse malus. Tum quia. Falsum est illud odium non esse liberum: Nam illa determinatio, quæ supponitur præcedere, vel est determinatio antecedens re. & sic ipsa determinatio erit mala. Sed quia potest adhuc retrahari, manebit indifferentia ad odium, consequenter liberè produceretur illud odium. Considerantur dicta in Animasticis de libertate actus imperati. Quod si illa determinatio est non nisi antecedens ratione: tunc sicut in re, illa determinatio est libera: ita & odium in re erit liberum, cum eundem realiter actum peccaminosum constituant. Tum quia Nullum est fundamentum, quod liberè non sequetur adhuc odium, quia quamvis ponatur liberè sequi odium, non sequetur quod non sit facta transgressio Legis: quia Lex prohibet ne quis subtrahat positionem impedimentorum ad odium, sed quod unusquisque teneatur illud impedire: ita ut negatio ponendorum impedimentorum odii sit radicaliter, & virtualiter odium quæ virtualitas facit, ut posito liberè actu prohibito, nunquam possit evitari malum.

NON SATISFACIT 2. Tum quia. Illa ipsa non positio impedimentorum odii, est mala. Rogo in quo stet malitia illius. Si in positivo. Ergo & alia peccati malitiæ stabunt in positivo. Si in negativo. quid negat illa non positio impedimentorum, quæ sit talis ne ex ea sequatur ex eo solum odium Dei esse malum, quia non est amor Dei. quod non debere dici infra ostenditur. Tum quia. Non indiget ad sui malitiam non positio impedimentorum ullâ antecedenti determinatione. Ergo nec ipsum odium indiget ulla determinatione ad sui malitiam habendam. Tum quia. Ponamus solam illam proptionem in actu odii Dei, eamque voluntariam. Vel erit adhuc odium illud malum independentè à negatione impedimentorum, vel non erit: si non erit. Ergo poterit aliquis advertenter & liberè odisse Deum sine peccato. Si erit malum. Ergo erit malum independentè ab illa prævia negatione impedimentorum.

NON SATISFACIT 3. Determinatio ad amorem est entitas positiva, & non est proprie omisso, quamvis etiam illa sit omnium impedimentorum ad amorem exclusio. Ergo idem dicendum de determinatione ad odium Dei: Quod enim dicit Perez augendam per hoc perfectionem odii. si illa determinatio sit positiva, videtur petere principium, dicentque oppositi peccatum positivè in se non habere per hoc augmentum perfectionis: ita nec habituram dictam positivam non positionem impedimentorum.

EXPLICAT 2. Esparza de Actibus humanis q. 29. Supponitque, quod impossibile sit, utis cui adest omne bonum sibi debitum, patiatur aliquod malum, & hoc probat Inductio. Un-

de non est possibile ut aliquis patiatur aliquid malum paupertatis cui adsunt omnes divitiæ. Supponit rursus, quod bonum sit prædicatum convertibile cum ente, superaddens non nisi vim inductivam appetitûs & amoris. Ex quo infertur omne malum tam physicum, quam morale, consistere formaliter in privatione boni unicuique debiti, omnemque talis boni privationem, esse malum quoddam. Porro hæc ipsa cuiusvis boni privatio est indistincta ab aliquo alio bono. quia unumquodque intendens ad bonum operatur. Hinc si aliquod malum esset realiter expers omnis entitatis & boni, nullum posset pertrahere principium ad positionem sui. Positâ autem hac indistinctione mali ab aliquo alio bono. illa entitas alicujus in se bonitatis est nihilominus mala: quatenus est impeditiva, & exclusiva boni debiti respectu alicujus subjecti; & habet eatenus rationem privationis ejusdem boni: Omne enim malum excludit præponderans sibi bonum. & cum virtus & actus bonus maximè omnium sint bonum; quia vitia & actus vitiosi hoc bonum excludunt, maximè omnium dicuntur privationes. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia. Concederent oppositi: Omne id quod habet omne bonum sibi debitum non posse habere malè. Concedent rationem boni esse entitatem positivam; sed istis omnibus concessis, negabunt oppositum malum jam hoc ipso esse negationem, quærent enim quare bonum & malum morale non possent se habere sicut oppositio frigoris & caloris ab utraque parte positiva. Concedent item oppositi. Quod illa privatio sit innexa alicui enti. Concedent, supposito quod detur illa privatio, esse illam malam. Sed restabit semper quærere, in quo stet illa non positivitas, in quo stet illa privatio, & quidem debita. Tum quia. Odium Dei non tantum est malum: quia privat amore Dei. sed etiam in se est malum, quæ malitia, quam rogo dicit privationem: quod item bonum est debitum odio Dei, quo caret illud odium.

Punctum Difficultatis 2.

Adferuntur reliquæ Explicationes.

EXPLICANT 3. Alii hanc non positivitatem stare in hoc quod ille actus sit liber, & tamen dicat negationem bonitatis & rectitudinis, quam voluntas potest, & debet habere. Idem fermè vult Gabriel & Almainus. Ex eo peccatum esse malum: quia inducit privationem actus boni in voluntatem. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT 1. Quæro enim: Ille ipse actus in se spectatus, & non spectatâ ipsa voluntate, vel est in se malus, vel non est malus in se. Si est in se malus, est malus malitiâ stante in non positivo. Quæro quodnam sit illud?

(D) 4 nec

LOD
VSKI
le. Z.

nec recurras ad potentiam: quia suppositio argumenti recursum præcludit.

Si autem ille actus in se spectatus non est malus. Ergo odium Dei non est malum. Ergo non explicas malitiam peccati in se, de qua quaeritur. Ergo ulterius accessus illius actus ad potentiam, non potest reddere malè se habentem potentiam, quia cum illum actum liberè ponat potentia, ipseque actus non sit in se malus, qui reddet potentiam illo actu male se habentem? Et sicut quia aqua emanat ex se frigus, cum frigus non sit in se malum, non reddit emanativum sui malum, ita quia voluntas principiat odium Dei, si ipsum odium Dei non est in se malum, hoc est, carens perfectione debita, quomodo reddet potentiam malam. Si autem dicas odium Dei carere perfectione debita, explica hoc ipsum, & non per hoc, quia reddit potentiam malam.

NON SATISFACIT 2. ex iis, quæ in simili ponit Valq. Hæc reſtitudo quam potuit, & debuit habere voluntas, vel debuit esse ratione actus oppositi, qui tum poni debuit; vel debuit esse in ipso actu odii. Si primum. Ergo si per possibile vel impossibile simul starent secum Amor & Odium Dei, odium Dei non esset malum: quia non privaret opposito actu bono. non secundum: quia nec potentia potest habere exigentiam ut actus odii Dei sit bonus: haberet enim exigentiam ad impossibile. Neque ipse actus, ut dictum, exigit ut sit bonus: neque enim potest exigere ut implicet. Implicat autem, ut actus odii sit bonus. *Neque valet si dicas: Ipsam voluntatem debuisse habere in se reſtitudinem.* Tum quia, non infertur inde malitia negativa in ipso peccato. Tum quia, independentem ab actu, nulla est reſtitudo, vel irreſtitudo voluntatis, quæ sit moralis. non ergo ex potentia in actu, sed ex actu in potentiam debet derivari proxima malitia, quod qui fiat non ostendit. Tum quia. Rediret Argumentum, an debuerit habere reſtitudinem tunc cum supponitur habere odium. vel independentem ab illa suppositione? Non primum: quia hoc saltem viribus naturæ est impossibile; ut scilicet in suppositione odii habeatur Amor. Non secundum. quia ut dictum est non ostenditur ipsius odii malitia.

Neque valet si dicas cum Suarez. Debere reſtitudinem inesse actui ex suppositione; ex suppositione enim, quod debuerit operari voluntas tenebatur bene operari. Sicut casu, quo quis vult orare, tenetur bene orare. Non inquam valet. Tum quia, ut urget Ariaga. Hæc conditionalis arguit privationem in potentia potius, quam in actu: quia ponit obligationem habendi alium actum loco illius. Tum quia. Illud casu quo velit operari si significat, casu quo velit opera per hunc actum odii, tenetur ad bene operandum, & tunc falsus redderetur sensus,

deberet enim teneri ad impossibile: implicet enim ut actus odii Dei sit bona operatio. Si verò significatur casu, quo velit operari bene per alium actum, tenebitur ad bene operandum, id verum quidem est. Sed sequitur absurdum scilicet. hoc actu odii Dei non peccare peccatorem. Ratio, quia non ponitur conditio quæ obligabat ad non peccandum. Nempe casu quo velit actio actu operari, illo autem casu non vult voluntas alio actu operari: quia vult non nisi actum odii. Tum quia, illud quod adfertur de oratione, disparitatem habet: Nam Actus orandi potest bene vel male fieri; Actus autem odii non nisi male fit. Hinc potest aliquis teneri ut bene oret, nemo tenetur ut possit bono odio odisse Deum. Si non tenetur ad bonum odium, quomodo illi odio est debita reſtitudo.

EXPLICAT 4. Granada. Quam explicatione multo apparatu proponebat meus in Theologia Magist. Succus in hoc est. Quia Actus odii Dei ex ratione sua generica est actus voluntatis circa bonum Dei, hæc ratio generica quantum est ex se solum postulat aptè conjungi, cum differentia prosecutionis, non postulat autem conjungi cum differentia fuge. Quia verò certam partium compositionem consequitur forma & species: ideo quia caret recta compositione partium odium Dei; ideo caret reſtitudine speciei, caret honestate debita, & quia speciem consequitur debitus ordo, ideo carens actus odii reſtitudine speciei, caret etiam ordine debito. Ultimatò in hoc resolvitur Explicatio. Quia scilicet Actus odii Dei secundum rationem suam genericam habet capacitatem & debitum reſtitudinis; nec se habet actus ille humanus; ita ad rationem reſtitudinis sicut animal ad hinnibile vel rationale: quia animal dicit solum non repugnantiam, vel aptitudinem Logicam ad differentiam. Jam autem actus humanus ad rationem boni habet rationem positivam & exigentiam. Secundum hæc principia ulterius Actus malus est primariò in ratione sua generica malus. Secundariò in specifica: quia non nisi etiam secundum rationem genericam est illi debita reſtitudo. Et licet rationi genericæ contractæ, quæ contractæ, & in sensu composito, non sit debita reſtitudo. v.g. in actu odii, sufficit quòd sit debita secundum se, & in sensu diviso. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT I. Quia posito peccato, malitia illius non pendet jam à nostris intentionibus, sed debet esse nemine cogitante. Ergo & id quod salvat privationem, in qua stat formaliter peccatum debet esse nemine cogitante. Ergo & debitum reſtitudinis statuens formalitatem peccati debet esse nemine cogitante. Subsumo. Sed debitum reſtitudinis in peccato non est nemine cogitante: quia ipsa actio generica ut sic, actus humani, non datur nemine cogitante. imò etiam posito quòd datur

R. F.
THE M
ZIANOV
T. B. M. J.
D. V.
S.

tur rationes genericæ quoad esse suum actuale, necdum sequetur esse actum humanum capacem in actu odii Dei rectitudinis: quia si non est capax illius rectitudinis ipsum odium Dei, nec erit capax ipse actus humanus identificatus realiter: Neque enim datur distinctio virtualis in creatis in ordine ad prædicata primo intentionalia. Hinc Scotista: quod concedunt convenire uni formalitati in sensu formali, non concedunt convenire alteri formalitati in sensu formali, concedunt tamen convenire in sensu reali. Consequenter si in sensu reali & nemine cogitante, non convenit odio Dei habere rectitudinem, nec convenit Actui humano, nemine cogitante, deberet autem convenire nemine cogitante, quia peccato quod ponitur, convenit esse peccatum nemine cogitante, adeoque convenit carere rectitudine debita nemine cogitante.

NON SATISFACIT 2. Ipsum odium Dei prout distinguitur a actu humano ut sic, & prout determinatur ad esse malum, est aliquid in se malum. Ergo in se debet habere debitum rectitudinis. Ergo cum in se prout distinguitur ab actu humano genericè sumpto, non habeat debitum rectitudinis, in se non deberet esse malum.

NON SATISFACIT 3. Quia contra ea, quæ ponit in propositione hujus Explicationis, multa opponi possunt. Inprimis, vel odium Dei in ratione odii debet sibi partium compositionem, vel non habet. Si habet ergo est bonum. Si non habet, ergo non est odium Dei. Quia est impossibile poni odium Dei quod est totum, & non habere partes sibi debitas componentes. *Neque valet si dicas:* Odium Dei esse materialiter & subjective capax rectitudinis; nam essentialiter irreductum quomodo subjective est capax rectitudinis. Tum quia, falsum est quod actu humano ut sic sit debita rectitudo: Nam dicam esse debitam hoc sensu: quia operatio bona est principalis & nobilissima species actus humani, sed non est debita hoc sensu, quasi determinatè postulet nonnisi differentiam boni. Sed se habet sicut animal, cujus nobilissima species homo, & tamen animal non postulat ut sit nonnisi homo. Quod autem ratio generica actus humani non determinet sibi hanc nonnisi speciem, hoc colligitur & exinde: quia genus plures deposcit species, & quia alias nunquam posset conjungi cum differentia mali: Nam quod debitum est, dicitur determinationem, non posset jam pati mutationem, nec ei contingit oppositum. Tum quia, rationi genericæ, & conveniret principaliter ratio mali, utpote, quæ est capax rectitudinis, & non conveniret principaliter, quia illud principaliter & per se est malum, propter quod & aliud est malum, non autem odium Dei propter formalitatem actus humani, sed actus humanus propter formalitatem odii Dei malus est. præcipue cum per op-

positos, actus humanus inclinet ad bonitatem. Unde pati debet violentiam, cumque non sit in potestate actus humani restituere se, vel impedire ne sit, hoc ipso non debet illi tribui ratio principalis in malitia. Tum quia, Si nonnisi in sensu diviso actui generico est debita rectitudo, in sensu composito non erit malus, quia in sensu composito, non habet debitam rectitudinem: sicut enim se habet simpliciter ad simpliciter; ita tale ad tale. Sed si non esset absolute debitum rectitudinis in actu non esset malitia in actu. Ergo etiam: quia non est in sensu composito debitum rectitudinis, non erit etiam in sensu composito malitia.

Punctum Difficultatis 3.

Concluditur Intentum.

EXPLICATUR I. Quomodo actu peccaminoso sit debita rectitudo, vel quod idem est, quomodo ille sit contra debitum.

Debitum & Jus sunt correlativa: Impossibile enim est habere aliquem jus, & tamen nullum respondere debitum, & è converso. Jus autem ipsum, & debitum adhuc est quantum ad præsens duplex, nempe justitiale. Cujus non impletio, ut loquuntur multi, importat injustitiam. & aliud est Jus quod est formalitas exigentis & debitum, quod est obligatio, respondendi per actionem illi exigentiæ. ita ut si non sit satisfactio per actionem, hoc ipso dicatur non satisfecisse debito. Porro habetur in bono Jus, ut nonnisi ametur, consequenter in summo Bono ut summè & cum prælatione ad reliqua bona ametur. Quod si in bono habetur jus ut ametur, sequitur obligatio in voluntate ut nonnisi amet v.g. Deum. Et quia obligatà radice, obligantur fructus, & adstrictà vite ad pensionem adstringuntur uvæ & botri, imò cum adstrictio hæc voluntatis non sit mortuo modo, sed vitaliter quodam modo, hoc est, per ordinem ad actus, sit ut illa obligatio sit in voluntate primò ne scilicet oderit bonum, & ex consequenti in actibus ipsis, ut nulli sint actus, qui v.g. sint odium boni. Et sicut v.g. habet Petrus jus ne illi quisquam furetur consequenter ne furetur etiam Paulus, unde etiam in Paulo est debitum non furandi; furtum verò ab illo factum licet sit tale ut de furto falsum sit dicere, quòd debeat non furari: quia tamen illud furtum est formalis contraventio juri; ideo furtum dicitur esse contra debitum. Ita in præsentem est in Deo jus, ut cum sit summè Bonus, cum prælatione ametur, cui juri obligata manet voluntas; & si ponat odium boni, odio quidem non debetur ut sit amor: quia tamen ipsum odium est formalis illa contraventio debito, dicitur negationem satisfactionis debito, & est hoc ipsum ut quo, quo voluntas violat illud jus, & non facit satis debito; sit ut ille actus dicatur esse contra debitum,

LOD
VSKI
le: Z:
VI

bitum, ut dicatur esse non satisfactio ut quo, & formaliter, debito suo & juri divino. Quod si est contra debitum ut quo, & formaliter, hoc ipso dicit non satisfactionem debito, adeoque carentiam rectitudinis debitæ: hæc enim in præfenti pro eodem sumuntur. Est ergo peccatum contra debitum, quia est formalis oppositio Juri divino, quod habet ne odio habeatur.

EXPLICATUR 2. De essentia objecti attributionis est, ut formalitatem quâ stat in omni eo, quod ad illud objectum spectat, suo modo reperiat, hocque ipso non esset illud objectum Attributionis, si in aliquo sibi debitam formalitatem non reperiret. Unde & error ipse spectat ad objectum Attributionis, tanquam dicens negationem ejus formalitatis quâ objectum ejus stat. in quo errore ponuntur quidem aliqua positiva, tamen formale illius stat non nisi in carentia formalitatis, quæ objectum illius formalisat. Hinc & Metaphysica considerat quidem Ens quâ Ens, sed considerat etiam non Ens, in quantum dicit negationem ejus entitatis, quæ formalisat suum attributionis objectum. Porro in regula proxima humanarum actionum objectum attributionis est rectitudo inducibilis, vel rectificabilis operationum, secundum dictamen conscientiæ. Hanc rectitudinem semper illa vult, & si detur error, ut ita dicam, voluntatis, qui est peccatum, quamvis illud importet aliquid positivum; nihilominus carentia rectitudinis ultimò formalisabitur: quia contraria alicujus habitus sunt carentiæ formalitatis quâ stat attributio.

Unde concipiendo dictamina illius habitus rectificativi, ita ut attendatur semper ad objectum attributionis, talia poni debent. In primis, per ordinem ad actus bonos v.g. ad amorem Dei, ponitur hoc dictamen, est rectum ponere amorem Dei, per ordinem autem ad oppositum illi odium Dei, dicit, est rectum non ponere odium Dei. Hinc casu quo ponatur amor, erit positiva rectitudo. Si autem ponatur odium, erit negatio rectitudinis: tenebit enim hæc conversa, est rectum non ponere odium Dei. Ergo ponere odium Dei erit non rectum, ad eum planè modum, quo tenet hæc illatio ex conversione. est justum non accipere alienum. Ergo accipere alienum, non est justum: Universaliter enim in omni conversione, negatio si cadat in subjectum ex primaria intentione debet postea applicari prædicato, & si cadat in prædicatum, debet cadere in subjectum, supple, in hoc scilicet quod ante fuit subjectum.

Sed in super proponendum venit, quomodo illa rectitudo dictata à regula humanarum actionum sit debita etiam actui.

DEUS essentialiter habet potestatem Jurisdictionis in creaturas racionales, adeoque Legislativam: Nam in irrationalia habet potestatem proprietatis non Legislativam. quas enim

Deus propriè loquendo irrationalibus leges statuere potest: sed illarum lex est eorundem natura, vel necessitas. & quia hæc Jurisdictio in Deo, non debebat esse otiosa, poni debuit usus ejusdem. Usus hujus potestatis Jurisdictionis non conveniebat à solo Deo per merè internum actum ipsius Dei fieri, aliàs non posset esse creatura ulla rationalis, subdens se illi sui, nisi videns Deum: jam enim usus ille potestatis quem seipso Deus poneret, esset actus Dei liber, quem in illomet ipso non potest pervidere creatura, quin videat Deum, utpote identificantem sibi suos actus.

Rursus non expediebat. ut usum potestatis Jurisdictionis committeret non nisi aliquibus creaturis: quia si illis hoc esset essentialè, utilis annexus sit usus illius potestatis divinæ, illæ vel implicarent: quia deberetur illis aliquid, quod est supra vires naturæ: nempe prædictus, ut ita dicam, Vicarius Dei, vel si essent possibiles, esset occasio multarum tricarum in Republ. rationali ob tantam eminentiam, cui insuper annexa esset vicaria illa potestas regendi, & dominandi. quod præcavens Deus etiam Angelos superiores non constituit dominos inferiorum, & in officio illuminandi competit illis habere rationem magisterii, non domini, evenirentque casus, in quibus non possent consulti, casu quo vel abessent, vel casu quo dubitaretur, an non sit aliquid molendum contra tales creaturas, idque rationabiliter. Hinc conveniebat officium istud intimandæ Legis committi unicuique secundum quod habet vim directivi, noscitivi &c. & hoc noscitivum est conscientia præmonitiva de agendo. Et quia creatura rationalis est essentialiter serva, subditaque dominio Jurisdictionis divinæ; ideo conscientia est excepta, ut non possit impediri ne dicitur: quia hoc nomine, ut ita dicam, non proprio, sed ex commissione divina facit; licet postea, postquam satisfecit officio suo conscientia, liberum sit hoc, vel illud facere. Et hoc est quod respexit August. dum ait, ut aliquid alicui veniat in mentem non est in nostra potestate, consentire autem aut dissentiri propriæ est voluntatis. Posito ergo quod regula illa humanarum actionum, hoc est, conscientia habeat se per modum Vicarii Dei, in quo Deus fundat usum suæ Jurisdictionis, & potestatis Legislativæ; est obligatio, non tantum in potentia, seu voluntate, sed etiam in actu, ne ullus sit contrarius huic potestati. Et quia omne odium v.g. Dei est non subditio formalis legi latæ, per Vicarium Dei, sit ut illud odium, sit contra debitum, quod erat subdeditio sese legi, & est formalis non subditio legi.

Breviter hoc totum compingitur. Peccatum caret debita rectitudine, quia est formalis non subditio ad regulam rationis agenda præmonstrantem; idque nomine Dei, tanquam Domini Jurisdictionis, & Legislativi. Hæc Explicatio attendit ad causam

R. F.
THE M
ZIANOV
Tom
D. V

fam finalem, cur Deus voluerit nos habere conscientiam.

EXPLICATUR 3. sic. Ponunt Theologi in Deo essentialem veridicitatem, eamque (quid sit de sententia) dicunt esse sufficiens resolutionem objectum fidei: siue enim aliquis cognoscat certo, inquit, siue non noscat, credere illi debeo, si essentialiter illi est, non nisi verum loqui. Hoc posito. Imaginemur dari aliquam creaturam essentialiter veridictivam. Certo, obortâ controversia. verumne sit an falsum; stati deberet in iudicio illius veridictivi: sicut enim appetimus noscere verum; ita & debemus noscere si possumus, ut fiat satis ordini naturæ veri notitias per se appetenti: & inde erat appetitus oraculum Delphicorum inter Ethnicos. Prophetiæ inter fideles, & in Ecclesia veridictivum articulorum fidei est Papa, &c. Quod est veridictivum in Intellectualibus, hoc in ordine ad actus voluntatis, est boni & rectidictivum. Et sicut datur obligatio in intellectu, ut primò per se quærat verum, sic & in voluntate datur obligatio, ut non nisi primò per se bona velit. Sicut enim intellectus ordinatur ad possessionem veri per se, ita & voluntas ad bonum. Sicut ergo error caret rectitudine debita: quia actus intellectus circa cognoscibile non debet esse error: ita & actus peccaminosus caret rectitudine debita: quia actus voluntatis circa bonum non debet esse averfio.

Breviter hoc totum colligitur: caret rectitudine debita actus voluntatis peccaminosus v.g. odii Dei: quia debitum erat accommodare sele distant regulæ bene agendi, cui formalis non accommodatio, est ipsum odium, diciturque odium peccaminosum, & quæcunque alia peccata negationem accommodationis ad regulam.

Explicatis his non esse, importatis à peccato, est quæstio de voce an illud non esse, & illud non positivum debeat appellari negatio, an privatio? Sed potius appellari debet privatio: quia privationes appellantur illæ carentiæ, quæ fiunt contra debitum, peccatum autem, ut dixi, fit contra debitum. Ex hæcenus dictis, *Colleges*: nos non ostendere quòd ipsi actui peccaminoso sit debita inesse rectitudo aliqua, hoc enim implicat, sed quomodo odium v.g. Dei, imò omnis actio peccaminosa sit contra debitum operandi modum.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIUNT I. Vasq. Ariaga. Oviedo. Non potest explicari in quoniam consistat hæc non positivitas peccati. Ergo peccatum debet esse quid positivum, ut illi aiterutrum contradictoriorum conveniat.

RESPONDETUR. Competere peccato negationem satisfactionis ad jus divinum, cuius debitum erat, ut dixi Explic. primâ. Competit negatio subditiōis ad Legisdictivum nomine Dei intimans, cui subdi erat debitum. ut dixi Explic. 2dâ. dicitque denique negationem accommodationis ad bonidictivum, quæ accommodatio erat debita, ut dixi Explicatione tertiâ.

INSTAT ex Vasq. Oviedo. Actus v.g. odii Dei incapax est rectitudinis. Ergo carentia rectitudinis respectu illius non est privatio rectitudinis debita, sed negatio rectitudinis cuius est incapax.

RESPONDETUR. Distinguendo Conf. Ergo carentia rectitudinis respectu illius actus, non est privatio rectitudinis debita, quasi componibilis cum odio Conc. Conf. non est privatio rectitudinis debita, hoc est, non est formalis non satisfactio juri divino, cui erat debitum subdi, non est formalis negatio accommodationis ad bonidictivum (quæ accommodatio erat debita) N. Conf. Unde illud debitum rectitudinis in peccato est debitum. non per conjunctionem rectitudinis cum peccato; sed per hoc, quia peccatum est formalis contraventio debito. Neque verò malitiam suam sumet v.g. odium Dei, in illa non satisfactioe juri divino, per solam negationem amoris, quam importat, sed etiam per sua prædicata positiva, quæ importat, & per negationem scilicet non satisfactiois, condistinctam ab ipsa negatione amoris; ad eum modum, quo mala retentio alieni, non tantum formaliter est mala per hoc, quia caret honestate restitutionis, sed etiam; quia est formalis non datio alieni. Et sicut in principiis oppositorum, positivum peccatum odii, non tantum est malum, in quantum illud esse, est negatio amoris Dei, sed & ipsa positivitas odii est mala; ita in nostris principiis, non sola negatio amoris inclusa in Dei odio est mala, sed & ipsa non satisfactio, negatioque accommodationis ad Jus divinum.

OBJICIT 2. Vasq. Necessarium est, eidem virtuti varia peccata opponi; si autem tota ratio formalis peccati est privatio, actus verò positivus, est materiale, & subjectum illius, sicut paries est subjectum albedinis, tunc non darentur variæ species peccatorum: quia illæ non ex materiali, sed ex formali desumi debent, ex parte autem privationis formalisantis peccatum, non possunt species variæ reperiri; semper enim respondebit pro formali non satisfactio juri divino, multisque hoc urget Vasq.

RESPONDETUR. Immeritò assumere Vasq. quòd ita malitia habeat se ad actum positivum peccati per nos, sicut albedo ad parietem. Nam imprimis, albedo distinguitur realiter, tanquam forma superaddita, non superadditur

LOD
VSKI
le: Z:
VI

ditur autem realiter malitia positivo peccati. Rursus, ipsum subjectum non est radicaliter album, nec ad illud determinatè sequitur albedo, cum possit sequi nigredo. Per nos autem positivum & materiale peccati est malum radicaliter: quia ad illud determinatè sequitur malitia prædicatorum positivorum odii, dicit etiam dissonantiam, licet non ultimò completam. Directè autem negatur sequela, dabiturque diversitas specifica privationum desumibilis, à diversa honestate quâ privat à diversis regulis, quibus se opponunt, licet postea, omnes hæc privationes conveniant in ratione generica privationis reëctitudinis, oppositionis, inhonestatis, &c. Et ita v. g. avaritia & prodigalitas sunt species oppositæ eidem virtuti liberalitatis. Unde avaritia dicit turpitudinem per defectum commensurationis ad donationem ingenuam rationabilem. Jam autem prodigalitas dicit aliam inhonestatem oriundam ex excessu irrationabilis largitionis.

Quod autem dicit Vasq. Si Commissio stet formaliter in negativo, tunc posito, quòd hoc præceptum negativum ponatur, non furaberis, hoc ipso erit negatio negationis, id non convincit, propter dicenda ad objectionem Ariaga.

INSTATI. Vasq. Eidem Justitiæ opponitur furtum, homicidium, adulterium, in quibus est malitia diversa, secundum speciem quæ non potest salvari in negativo, quòd multis urget.

RESPONDETUR. Hæc omnia esse contra Justitiam, habentque diversitatem specificam, malitiæ quidem radicalis ab ipso positivo actus, rationem autem completam malitiæ habent non ex præcisâ privatione justitiæ, sed ex privatione, alia & alia specie, quamvis hæc omnes revocentur ad Justitiam tanquam genus. Et ita furtum privat reëctitudine debita non accipiendi de bonis fortunæ alienis. homicidium privat reëctitudine de non auferenda vita supra quam jus non habetur. Adulterium privat reëctitudine debitâ de non noscenda aliena.

INSTAT 2. Essentiæ rerum adeoque & virtutum consistunt in indivisibili consequenter non erit adhuc unde diversam speciem & oppositionem ad virtutem desumant peccata.

RESPONDETUR. Quamvis essentia virtutis consistat in indivisibili, modus tamen opponendi sese eidem indivisibili potest esse specie distinctus, ad eum modum quo operatio recta Logica stat in indivisibili: quia tamen modus considerandæ hujus reëctitudinis non est idem specie: Nam alio modo physica, alio metaphysica illam considerat. fit ut possit specie distinctos actus terminare. Rursus diversitatem specificam peccatum non desumit ab oppositione virtuti, sed per carentias hujus vel illius honestatis, quæ honestates inter se possunt distingui specie. Denique advertit Oviedo, quod virtus licet consistat in indivisibili, non est tamen

indivisibilis. Sic essentia hominis non est indivisibilis: involvit enim & partes metaphysicas & partes physicas; consistit tamen in indivisibili, quia ita dicit utramque partem ut quamcunque demas, penitus corruat totum. Eadem etiam ratione possunt dari distinctæ privationes ejusdem virtutis v. g. liberalitatis, quamvis in indivisibili consistat: in indivisibili enim consistens liberalitas dicit duas partes, quandam sitam in largitione bonorum usque ad certam mensuram, & huic opponitur avaritia. Secunda in rationabili retentione bonorum quæ supersunt supra illam mensuram, & huic opponitur prodigalitas.

Illustrari hoc totum potest Instantiâ ductâ ex Mathematicis. Centrum circuli imaginariè punctum est, & tamen hoc non obstante, recessus ab illo indivisibili, potest esse ad aliam & aliam partem circuli; ita ut verum sit dicere, recessus hic, non est recessus ille, distinguunturq; inter se recessus illi, secundum distinctionem ipsorummet terminorum. Cur ergo etiam quamvis in indivisibili consistat virtus, recessus ab illa per peccatum, non poterunt esse distincti specie.

INSTAT 3. idem. Quòd liberalitas non habeat duplicem bonitatem, sed unam tantum: Videtur enim quòd datio pecuniæ sola sit liberalitas, retentio enim pecuniæ, neminem liberalem facit.

RESPONDETUR. Sicut habetur una essentia hominis, & tamen homo est compositus ex duplici parte, ita etiam liberalitas, unam habet bonitatem, sed ex duplici formalitate compositam. Nego etiam dationem pecuniæ secundum se spectatam esse liberalitatem: quia præcisâ datio pecuniæ, etiam prodigali convenit qui non est liberalis. sed datio ordinata; retentio etiam pecuniæ secundum se spectata, neminem liberalem facit: quia est communis avaritiæ & paritatis.

Porrò datio moderata dicit etiam retentionem, & retentio moderata hoc ipso, quia moderata est, dicit etiam expensam ejusdem secundum circumstantias. Si enim non diceret etiam expensam significatam implicite illo termino moderata, hoc ipso nonnisi retentio esset; & non esset moderata retentio; ita etiam datio hoc ipso, quia moderata est, dicit etiam retentionem, & si diceret nonnisi dationem, non esset virtus: quia datio convenit etiam prodigalitati. Cæterum comparando has duas formalitates, dationem moderatam & retentionem moderatam, principalior formalitas est liberalitatis, datio moderata, idque ex eo, quia in definitione largitionis maxime attenditur ad dationem. Expresit hoc Aristoteles 5. Ethic. 1. Liberalis &c. in datione acceptioneque pecuniarum, at magis in datione laudem meretur. Accedens autem ad explicanda vicia opposita libera-

ralitati dicit, *prodigalitas, autem & illiberalitas, excessus & defectus circa pecunias sunt.* ubi, & videtur, prodigalitem specificat per excessum, & illiberalitatem seu avaritiam per defectum.

OBJICIT 3. Ariaga. Lex prohibens furtum vel odium Dei non exigit à me aliquid aliud, quàm carentiam odii & furti. Ergo non aliter violo hanc legem, quàm habendo ipsum odium vel furandi animum. Ergo transgressio hujus legis formalissimè consistit in productione odii vetiti.

RESPONDETUR in primis. Quòd non aliter violetur hæc lex secundùm radicale esse malitiæ, quàm per aliquid positivum, licet secundùm rationem ultimò completivam malitiæ, adeoque formalem violetur per aliquid negativum. Rursus, Lex prohibens odium Dei non exigit à me aliquid aliud, quàm carentiam odii, sed non utrunque, verùm carentiam odii, cujus carentia est quid rectum, debitum &c. Duplex ergo potest exigi carentia odii seu non odisse Deum: in primis sine ulla ulteriori restrictione etiam implicite importata. Cum restrictione, quòd illa carentia sit bona & debita, licet illa bonitas implicite ponatur & potius præsupponatur. ex priori illo non sequetur peccatum stare in aliquo privativo formaliter, sed in solo positivo, auferente illam carentiam. Secundo autem modo sumptà carentià, stabit peccatum in negativo: quia sicut carentia odii, quod est negatio, tollitur positivo; ita esse bonum additum illi carentiæ, quod esse bonum est quid positivum, tolli debet negativo: nam negationes positivis, positiva negationibus tolluntur. *Ut hoc totum explanetur.*

SUPPONO ex dictis. Omne quod habet rationem objecti attributionis reperiri debere in omnibus, quæ sunt illius habitus suo modo, repositio est objectum attributionis regulæ humanorum actuum, hinc illa repositio & bonitatem suo modo respicere in omnibus debet adeoque etiam in præceptis negativis. Si autem illam respicit in præceptis negativis sequetur malitiam commissionis ultimo compleri per aliquid negativum. Quòd inde colligitur. Tripliciter potest formari præceptum de non odiendo Deo. Primò. Non odisse Deum est bonum, sequeturque odium Dei formalitari negatione: quia sicut non odisse quod est negativum: debet tolli per odisse quod est positivum; ita & bonum debet tolli per aliquid negativum: quia positiva negationibus tolluntur.

Rursus formari sic potest, non est bonum odisse Deum. Ubi ipsi odisse annectitur negatio bonitatis. & quia ipse actus odii est odisse, fit ut ipse actus odii non sit bonus, in qua ut vides formatione complebitur per negationem odium, hoc est, per non esse bonum. Tertio. Formari potest illud præceptum. Odisse Deum

est malum formato sic isto præcepto, adhuc odium Dei stabit in aliquo negativo. Ratio: quia illud Ly malum, debet omninò adhuc resolvi in aliquam formalitatem negativam, quæ rere enim restabit, quare odium Dei sit malum, & quali malitià, tandemque ad hoc redeundum erit, quia non satisfacit juri divino, non subdit se legi, non accommodat se retdictivo, quodque ad hoc redeundum sit, probant & Auctoritates & rationes pro Conclusionem datæ. quod si redibitur ad hoc, ideo odium Dei esse malum, quia non se accommodat v.g. retdictivo & conscientie dictanti, ex eo sequetur, odium Dei in ratione peccaminosi ultimò compleri aliquo negativo.

INSTAT I. Ariaga. Si esset aliqua lex mandans tenebras, formalissimè illi opponeretur quis producendo lucem, quàm formalissimè illæ expelluntur. Ergo cum carentia odii, quæ est imperata, formalissimè tollatur per positivam entitatem odii Dei, necesse est, ut in hac formalissimè consistat contrarietas cum lege.

RESPONDETUR. Disparitatem in primis esse: quia cum lux sit bonum, potest illius oppositio ad tenebras stare in aliquo positivo, in quo complete & ultimò sistat, præcipue cum experientia, quæ supra rationes affirmari debet in contra opponibiles, stet pro ejusdem positivitate. Sed cum peccatum sit malum & oppositum summè Deo ex suo genere, debet ultimò negatione formalitari, propter dicta in explanationibus supra. Deinde dici potest scilicet carentiam odii formalissimè tolli per positivam entitatem odii: tanquam per malum radicaliter, sed non tanquam per continentem ultimam & completam rationem malitiæ. Vel certè carentia odii utrunque accepta tollitur positione odii & positivis prædicatis, sed non carentia odii cum addito, seu carentia odii quæ est bona.

INSTAT 2. idem. Peccatum consistit in privatione retditudinis debita: hæc retditudo debita, est privativa: privatio autem privationis est aliquid positivum.

RESPONDETUR. Negando quod retditudo debita sit quid privativum, stat enim in positione operationis secundùm merita objecti, quod non est quid negativum. aliàs v.g. Amoris divini bonitas quàm talis infeliciores esset odio Dei: quia bonitas illius & retditudo non formalisaretur positivo, & ente, secus odium. Si autem retditudo debita non est quid privativum, privatio hujus retditudinis, non erit privatio privationis.

INSTAT 3. Mala respectivè seu mala alteri sæpè consistunt formaliter in positivo. Ergo & moralia poterunt etiam in positivo consistere. error enim v.g. est malus intellectui non solum quia privat scientià, sed per suammet entitatem positivam.

(E)

RESPON-

LOD
vski
e. Z.
VI

RESPONDETUR. Malum physicum formaliter consistere in positivo, tanquam in formali radice mali, sed non stare in positivo tanquam in ratione ultimò formaliter complectente. Idemque dicendum de errore, qui ratione sui positivi est radicaliter malus, sed ultimò completur, non quidem per negationem scientiæ, sed per negationem conformitatis ad objectum, huius etiam magnus, est malus faciei radicaliter, formaliter autem per negationem proportionis ad corpus. Disparitas etiam dari potest, quia cum malum physicum non debeat dicere summam in suo genere oppositionem ad Ens, non indiget constitui aliquo negativo; malum autem morale, vel ex hoc ipso; quia dicit summam oppositionem ex suo genere ad Deum, debet constitui formaliter aliquo non esse.

Quid de reliquis Objectionibus?

OBJICIT 4. Oviedo. Conformatio cum præcepto negativo non furandi est pura negatio; ex eo enim præcisè, quòd nihil agam contra præceptum negativum, sum illi conformis, neque aliam conformitatem destruendam invenit actus furandi: neque enim præsupponitur actus positivus, quo quis dicat, volo non furari, seu nolo furari, sed negatio tollitur per formam positivam. Ergo conformitas illa tollitur, seu habet pro sua negatione actum positivum: negationis enim non datur negatio.

RESPONDETUR. Conformatio cum præcepto non furandi est pura negatio, si spectetur penes præceptum præcisè sumptum, non furaberis præsupponit bonitatem, etiam conformatio, cum illo per aliquid negativum erit bona: hinc eius negatione erit bona: hinc eius negatione per aliquid positivum sublata, præsupposita illa ratio boni debet tolli per aliquod negativum, ut repetitò est dictum. Rursus, Negatio illa tollitur per formam positivam secundum quod dicit illa forma radicalem suam malitiam, sed non per formam positivam, quasi excludentem superiores negationes: nullum enim positivum, ut supra dictum, illas excludit. Imò aliquod pro ultimò completivo debet illas dicere, dicitque peccatum negationes pro ultimò complemento, ut probatum supra.

INSTAT I. Oviedo. Malitia furti consistit in privatione quadam quam secum adfert actus furandi, quæ privat alia carentia; in qua consistebat rectitudo voluntatis quæ erat in conformitate ad legem, vel ergo carentia illa erat identificata, cum actu positivo, vel non erat: si erat identificata, in se non erat carentia, sed tantummodo in modo significandi: quia realis carentia, non identificatur cum positivo. Si

non erat identificata. Ergo actus furandi per se sumptus etiam cum libertate elicitus, malus non est, quod est absurdum.

RESPONDETUR ex dictis: Quòd actus furandi privet alià carentia, non utcumque, sed ut carentia hæc est bona: hinc non erit jam negatio negationis, sed negatio bonitatis, quæ erat in carentia. Carentia autem illa si erat libera erat identificata cum actu positivo: Neque enim datur omisso pura libera: Si autem non fuit libera; erat quidem non identificata cum actu positivo; supponebat tamen bonitatem: Nam carentia illa est bona, cuius bonitatis negationem dicit actus furandi.

INSTAT 2. idem. Hæ negationes debent sequi actum furandi, si sumatur actus positivus considerando illum cum illa negatione, quam secum adfert, eo ipso quòd sic sumatur actus voluntas non erit conformis præcepto non furandi, sed potius disconformis. Ergo non erat necessaria illa subsequens negatio.

RESPONSUM. Quòd independenter ab illa negatione sit illud ipsum positivum malum radicaliter, & ad hanc malitiam habendam non est necessarium complementum per alias negationes, licet ad ultimam & completam rationem malitiæ, sit necessaria.

INSTANT 3. aliqui apud eundem. Secundum hæc principia sequi, quòd major sit malitia peccati omissionis, quo omittitur amor Dei præceptus, quam peccatum commissionis odii: quia illud majori rectitudine privaret cum privet rectitudine supernaturalis amoris Dei, illud autem privet rectitudine quadam in negatione posita, & quæ sine ullo merito, & sine ulla libertate plerumque reperitur.

RESPONDET Oviedo pro nobis. Propositionem hanc, Major est malitia quæ majori privat rectitudine esse veram cæteris paribus: quia licet major sit rectitudo in amore Dei, quam in negatione odii, magis tamen debita est rectitudo negationis odii, quam rectitudo amoris: Nam non odisse obligat semper & pro semper, secus illud. Quod autem additur, illam negationem reperiri plerumque sine ulla libertate, id non convincit: quia cui liberum est positivum peccati, liberè sunt negationes innexæ.

OBJICITUR 5. Opponi dictamini, & disconformari cum illo, est facere oppositum illi quòd dictamen præscribit: quæ enim oppositio potest esse actus & objecti respectu dictamini, præter disconformitatem cum ipso, sed oppositum illi, quod dictamen præscribit est actus. Quod ipsum probatur. Dictamen præscribit furandum non esse, seu negationem actus furandi &c.

RESPONSUM jam est. Quòd scilicet disconformari illi dictamini secundum radicalem malitiam

R. F.
THE M.
zianov
Tom. A
D. V.

malitiæ rationem sit quid positivum, non autem secundum formalem rationem ultimò completam præcipiturque negatio actûs furandi, non utcumque, sed ut bona. Hinc ablata per aliquid positivum negatione furandi, ratio boni per aliquid negativum ultimò, tollitur.

INSTABIS. Secundum hæc principia sequi, quod Deus furtum prohibens, nihil prohibeat quod puniens pro peccatis, pro nihilo puniat.

RESPONDETUR. Ista, si ut sonant accipiuntur absurda sunt. Si autem accipiantur in sensu quem ponit hæc sententia, legitima sunt. Nam reddetur hic sensus, quod Deus prohibeat actum positivum qui in ratione malitiæ ultimò completur per aliquid negativum; puniatque pro actu positivo, qui ultimo completur per negationes.

OBJICITUR 6. In illo stat malitia formalis, quod est proximè & immediatè liberum, sed privatio, non est proximè & immediatè in se libera sed solum in actu positivo, ex quo consequitur. Ergo &c.

RESPONDETUR. Sufficit ut privatio secundum id, quod dicit in recto sit libera. dicit autem in recto actum positivum, quem vel oppositi dicunt esse liberum. Ex alio etiam principio huic difficultati satisfieri potest. Ratio liberi potest spectari & in causis & in effectibus. Causa illa libera est, quæ positis omnibus prærequisitis potest agere & non agere. Libertas in causa. competit illis privationibus quæ formaliter peccatum: quia positis omnibus prærequisitis ad agendum causæ illius privationis non necessitantur ad agendum. Sicut nec est necessitatio ad ipsum positivum. Alia est. Libertas in effectibus quæ stat in hoc: Quod positivis omnibus requisitis ad agendum, ipse effectus potuerit sequi & non sequi; & hoc convenit etiam illis privationibus. *Neque dicas.* Positivo illo actu positivo non posse non sequi privationem rectitudinis: Nam non potest non sequi privatio ex suppositione non nisi consequenter. Cum enim illa privatio sit innexa ipsi positioni actus positivi. Sicut ex suppositione actus positivi, non potest non sequi actus positivus: ita non possunt non sequi innexæ illi positivo negationes, consequenter illa necessitas, ut sequantur privationes, non est necessitas antecedens. Si autem non nisi ex suppositione consequenti non potest non sequi illa privatio; hoc ipso liberè sequetur. Nam ipsum exercitium libertatis est maximè liberum; & tamen supposito quod sit exercitium libertatis, non potest non esse exercitium libertatis. In hoc tamen sensu verum est, quod negationes illæ non sint liberæ voluntatis, quia illas solas liberè ponere, nec illa, nec ulla potentia potest; nec eæ impedibiles sunt ex suppositione producti actus, cum

innectantur ipsimet actui. Sed hoc totum infert non nisi suppositionem consequentem, quæ nunquam est destructiva, libertatis.

OBJICITUR 7. In his principis non erit ostendere, quomodo distinguantur inter se præcepta negativa à præceptis positivis. v. g. præceptum non odiendi Deum, à præcepto amandi Deum.

RESPONDETUR. Convenire utrumque præceptum in hoc, quod utrumque in actu exigat positivitatem, differunt tamen in hoc: in primis in conditione actus quem respiciunt: quia præceptum affirmativum deponit actum ultimò formalitatum per aliquid positivum, præceptum autem negativum liberè implendum requirit actum positivum, licet ultimò complebilem per negationes. Differunt item vi obligandi: quia præceptum negativum semper & pro semper obligat, præceptum autem positivum, non pro semper obligat. Ex quo ulterius colligitur. Differre illa quoad modum satisfaciendi; seu quæ ratione illis satisfieri possit. Et ita præcepto negativo satisfit ipsa negatione actus oppositi, etiam non libera; & ita satisfit præcepto non odiendi Deum, solâ negatione odii, quamvis non ponatur directè hic actus, Nolo odisse. Præcepto autem affirmativo, non satisfit solâ negatione, sed est necesse habere actum Amo.

Solutum est supra Argumentum, quod quamvis actus humanus dividatur in bonum & malum non sequatur actum malum quoad formalitatem suam ultimò completivam esse formalitandam aliquo positivo: sufficit enim quod actus malus, secundum radicalem malitiam sit quid positivum: sicut quando animal dividitur in rationale & irrationale; irrationale negationem importat licet in aliquo positivo, hoc est, differentiâ bruti fundatam. Imò & Ens latissimè dividitur in Ens & non Ens, adeoque in membrum negativum. Deinde dupliciter fit divisio alicujus generis, In primis: in membra æque primò dividenda. sic v. g. Color dividitur in album & nigrum. Membra autem æque primò dividenda illa sunt quorum utrumque dicit æque perfectionem. & alia membra sunt non æque primò dividenda, & hæc sunt in quibus aliud divisionis membrum, defectum importat. sic v. g. æque quidem primò dividitur notitia in speculativam & practicam, sed non æque primò dividitur notitia in scientificam & erroneam, error enim est defectus. hæc autem membra quæ non æque dividunt aliquod genus non est necesse ut quoad utrumque membrum compleantur prædicatis positivis, consequenter & actus bonus & malus moraliter licet sint membra dividenda actum humanum, poterit actus malus formalitari negativo, quod autem non æque primò actus

(E) 121 supel. huma-

LOD
vski
e. Z.
I

humanus dividatur in actum bonum & malum, hoc inde est: quia actus debet se accommodare potentiae, & cum potentia à rectissimo artifice ordinetur ad profequendum malum, fit ut actus sequens potentiam primò exigat esse bonum, licet, ut dixi supra, non determinet sibi unice bonum.

INSTAT 1. Haunoldus lib. 2. n. 430. Si Actus malus completeretur formaliter in Ratione mali per privationem Actus boni pariter dici posset quod Actus in Ratione boni formaliter compleatur per Negationem Actus mali. Atqui consequens est falsum. Ergo & Antecedens.

RESPONDETUR. In istis Principiis non formalitari malitiam peccati per privationem Actus debiti ut supponit arguens, sed per privationem rectitudinis debita in esse. Quare autem Actus bonus non compleatur privationibus cum illis compleatur Actus malus, disparitas danda erit ex rationibus & explicationibus conclusionis.

INSTAT 2. Album formaliter in ratione albi non completur per privationem nigredinis & sicut non esse Nigrum habetur quidem formaliter à negatione Nigredinis, hæc tamen negatio non est complementum effectus formalis albi, ita non esse laudabilem in Ratione amanti Deum formaliter quidem habetur per negationem amoris, hæc tamen Negatio non est Complementum odii. Error item non completur per negationem scientiæ & e converso. Ergo & in præfenti Actus malus non completur negatione Actus boni.

RESPONDETUR. Transeat totum; neque enim per nos formalis actus malus negatione Actus boni, disparitas autem vel ex eo peti debet, quia Nigredo & Albedo sint qualitates positivæ bonaque physica non debent ultimo compleri per aliquid negativum. Odium autem V. S. Dei est malum & imperfectio. Quod attinet ad errorem nego illum in Ratione mali non compleri negatione.

INSTAT 3. Malitia formalis non est aliud quam contrarietas ad legem obligantem atqui hæc contrarietas formaliter consistit in Actu positivo.

RESPONDETUR. Negando minorem. Lex autem immediate præcedens quomodo obliget ad talem Actum non ponendum ita ut ex modo obligandi sequatur malitiam peccatum ultimo compleri per aliquid negativum. De hoc supra.

QUÆSTIO II.

De Peccato Omissionis.

Commissionis peccato tanquam membro dividendi, peccatum. Ut sic, opponitur Omissio, de qua hic tractandum. Nomine autem omissionis peccati venit transgressio legis

positivè imperantis aliquid v. g. audi sacrum, da elemosynam &c. Ut autem ipsum difficultatis punctum commodius attingatur, penetretur que natura hujus peccati, formari solet hæc quæstio, an sit possibilis pura omissio libera peccaminosa. Quod ipsum ut intelligatur.

PRÆMITTO 1. *In quo non sit status Quæstionis de Omissione pura Libera.* Inprimis: Non est de hoc quæstio, An sine ullo actu directo sive interno, sive externo possit peccari peccato omissionis. Ratio communis est: quia aliquis potest omittere audire. Sacrum præceptum, non dicendo directè; nolo audire sacrum, vel assumo hanc occupationem ex directa intentione ne audiam sacrum. Unde sufficit accipere actionem impossibilem, ex qua prævidetur secuturus effectus quem fortassis vellet non sequi. Non est item de hoc quæstio, An possit dari omissio externa sine ullo actu externo. Ratio: quia non est imaginabile omittere aliquid actu externo v. g. omittere auditionem externam sacri, & non ponere v. g. remansionem domi, foris. Non est item de hoc quæstio, an omissio libera possit esse sine omni actu intellectus. Ratio: quia & esset illa omissio libera, ut supponitur; & non esset: quia non esset voluntaria: nihil enim volitum nisi præcognitum. tu autem etiam actus intellectus non ponis antecedenter ad puram omissionem, qui sit ad illam requisitus, & quem illa involvat. Nec item de hoc quæstio. An ordinariè & moraliter loquendo omissio peccaminosa contingat cum actu voluntatis saltem indirecto, & qui sit occasio omissionis. Ratio: quia experimur frangi præceptum positivum auditionis sacri ob voluntaria impedimenta impletionis præcepti affirmativi.

PRÆMITTO 2. *In quonam sit status Quæstionis.* Nempe, An possit dari omissio hoc sensu pura, hoc est, non involvens ullum actum directum, vel indirectum, quæ tamen omissio sit libera, adeoq; peccaminosa.

PRÆMITTO 3. *Quæ sit hac in parte mens Auctorum.* aliqui affirmant possibilem esse puram omissionem liberam, talis est ex nostris Suarez. Valent. Azor. Ariaga & Oviedo. Cont. 10. Animæ & Perez c. 6. Negativam putatur tueti Vasq. sed non ita clarè. Nam quamvis doceat: nunquam de facto contingere peccatum sine actu positivo; admittit tamen posse voluntatem suspendere omnem omnino actum circa objectum propositum, quod favet puræ omissioni. Absolutè tamen negativam tuerent Thomistæ. Baldel. Lugo, & post illos Espar. de Act. Hum. q. 15. Alii autem secuti Cajet. docent. Omissionem, si detur, non fore peccaminosam, quod etiam tueretur Hurtado de Incarnatione. cit. ap. Oviedo de Actibus hum. contr. 6. n. 13. Contra quam restrictionem agit Oviedo in Animalisticis. Consulatur. His præmissis.

DIFFI.